Mia Perriaseca

Meca

Mia Perriagela

Me.ca

Es de D. A. Delgado

Soy de D. Juan

Fran. Zapata

~~Capote~~ Rita

M Delgado

y

Ate
Ate

Ω
ϑ Λ
Δ Π ρ
ω
Π ζ
θ

V. CL. ANTONII GENUENSIS

ARS LOGICO-CRITICA

IN EPITOMEN REDACTA, DIALOGOQUE DIGESTA

A JOSEPHO MANZONI,

EX ITALO IN LATINUM SERMONEM
versa, et ex Elementis, Institutionibus, *Logica per gli Giovanetti* ipsiûs Genuensis, praeceptisque aliquibus ex Condillaccio illatis

DISCIPULORUM USUI REFUSA

AB EMMAN. MARIA DEL MARMOL
Hispalensi Scientiarum Academiâ Regio Philosophiae Antecessore.

EX PRELIS VIDUAE DE HIDALGO ET NEPOTIS
TYPOGRAPHORUM HISPALENSIUM.
Ann. 1806.

Una buona Logica é un benefizio fatto al Genere umano assai più prezioso di quel, che non si pensa.

Elog. Storic. del Sign. Ab. Ant. Genovesi. §. 40.

PRAELOCUTIO.

Et praeceptorum, quae tradimus, et Auctoris, ex quo ea sumimus, prolixam quis nunc speraret commendationem. Ast Genuensi essemus injurii, si libri, qui ejus nomen praesefert, commendationem susciperemus. Hospes ille in philosophicis erit, qui Genuensem ignoret, qui ejus opera non magni faciat. ¿Cui Logica Genuensis non dicta? ¿Cui non auro, gemmisque carior?

Propter ipsum autem elementorum Artis Logico-Criticae praetium, epitomen, quam efformamus, illis vilescet, qui ejus rationem, finemque non perspexerint. ¿Quare, dicet aliquis, illa optima elementa contrahere? ¿Quare refundere? ¿Audistin juvenum usui in epitomen esse redacta? Nocturnâ, diurnâque manu elementa Provecti evolvant: prolixiùs tamen procedunt, quam ferre debeant, et possint Tirones. Ipsemet Genuensis id vidit, qui duo elavoravit

compendia, quorum unum *Logica per gli Giovanetti*, aliud *Institutiones* appellat, et has juvenibus instruendis et proposuit, et commendavit. (a)

Aliqua his redactionibus Auctor ipse correxit, multa adjunxit, clariori ordine plura distribuit. In his omnibus innuuntur aliquae analisis regulae, quae prolixiùs evolvendae fuerant, si et ipsiùs analisis, et ratiocinii, quod ei debetur, natura erat noscenda. Opus ergo vanum is non molitur, qui in unum omnia colligat. Ex tribus ergo Genuensis operibus, librisque Condillaccii de analisis regulis optimè meriti, compendium nostrum formandum erat.

Placuit illud Dialogo distribuere, quia juvenibùs erat aptandum. Optimus hic docendi modus. Sic Plato, et Socrates edocebant, qui juvenum animis excolendis prae caeteris palmam tulerunt. Excitat dialogus responsuri attentionem, qui totas animi

(a) Dovendo costí insegnarsi Logica fate prendere le mie piccole institutioni: piacciono anche á me mediocremente.

Lettere familiari del Genovesi Tom. 2.

vires in id, quod respondere debeat, convertit, dumque illud quaerit, intellectûs acumini, memoriae, judicio, omnibus verbo animi facultatibus exercendis constringitur. (b) Cum autem Manzonius Epitomen elementorum Genuensis dialogo digesissset, illam ex Italo in latinum sermonem vertens, labore ad redigendas doctrinas exonerabar, nilque me aliud manebat, quam vacare additionibus efficiendis. Habes ergo nostri operis rationem.

Omnes autem exoro ne me propter inductionis, et analogiae definitiones accussent, quin priùs Baldinoti Logicam adeant, et caput 5. libri tertii absque partium studio perlegerint.

Vellem autem quod mi, et obscuritas parceretur, et inconcinnitas, et errores, si qui fortè irrepserunt in idearum resolutione explicandâ. Res agebatur, quae vix, ac ne vix quidem redigi in pauca potest, abstracta, á paucis explicata, et á plurimis non intellecta. ¡ Quot relinquimus exantlatos

(b) Manzoni Element. dell' arte Logico-Critica: Discorso preliminare dell' editore.

labores, latas molestias, vigilias toleratas, ut illam scriptis exararemus!

Oro te etiam, Lector, ne stilum accuses. Video (et haec de me, prout de se Genuensis, dicere possum) (c) video equidem durum esse, inconcinnum. Non aliter scribere poterat ille, qui á teneris annis, et semotus deguit á gentibus, et Scholis, scientiisque earum abstractis exercitio perpetuo est assuefactus. Haec cognocens, semper ac ipsiûs Genuensis (qui me longè stili concinnitate superat) latinis verbis Manzoni Itala vertere potui, id feci.

Animadvertant omnes orat Manzonius propterea opusculo hocce libros aliquos Protestantium Auctorum eum suggerere, quia rem, de quâ agebatur, pleniùs absolverint; non vero quia partes eorum sumat, vel reverentiae Ecclesiae debitae aliquid detrahat. Monitos omnes et Genuensis, et Manzonius, et nos etiam volumus cautè et perspectè es-

---

(c) Io vedo ch' ella é scritta senza veruna leggiadria di stile, ma colla ruvidezza di un Uomo scholastico é solitario. Tom. 1. Lettere familiari Lettera 4.

se legendos, permissione praeviâ Ecclesiae, quae eorum lectionem interdictam sapientèr voluit.

Aliqua scribimus, quae aut minùs caeteris sint necessaria, aut quae licet non superfluant, ad uberiorem tantum notitiarum apparatum faciant, aut quae libris logicis reperire Tirones debeant, licet primevis lectionibus non sumenda, aut demùm quae licet necessaria sint, gravissimum memoriae essent onus. Ea inter haec signa * * clausimus, ut ita notata legant utique Tirones, ac relegant, sed memoriae non mandent, si ita iis fortè placuerit.

PROEMIUM.

DE LOGICA IN GENERE.

¿ *Quid est Logica?*

Est ars, quae auget, format, et dirigit rationem hominis in studio sapientiae.

¿ *Quid est sapientia?*

Scientia rerum aeternarum, factarum, et possibilium, earumque et caussarum, et finium, et usuum, et relationum.

¿ *Quomodo Logicam dividis?*

In Criticam, et Dialecticam.

¿ *Quid est Dialectica?*

Ea Logicae pars, quae docet recté ratiocinari.

¿ *Quid est Critica?*

Pars Logicae, quae docet recté de aliorum cogitationibus judicare.

¿ *Quibus Logica nata est?*

Nata est primum ex communi omnibus naturae lumine, naturalive quadam prudentia, et sollertia, quae omnes regit in veritatibus vitae aut necesariis, aut utilibus, perquirendis. Sed aucta plurimum est exercitatione, et experimentis Philosophorum.

Dum enim plurima, ac pluries, tentantur, via tandem vera invenitur. Ipsi quoque errores plurimas ad verum vias patefecerunt: nam quod in primis Philosophis erratum fuit, id posteriores animadverterunt, et inde hauserunt regulas, quibus errores iis similes vitare possent.

¿Quaenam ergo erunt Logicae officia?

Docere regulas, quibus recté ratiocinemur, et judicemus de aliorum cogitationibus.

¿Quo differt Antiquorum Logica á Logica Recentiorum?

Antiqui docebant Logicam, cujus principium, ac velut basis, omnia ad quaestionem vocare, cujus officium garrire, cujus finis vincere, et confundere adversarium. Eó autem Recentiorum Logica tendit ut veritas inveniatur, ut scientiae, et artes hominibus utiles promoveri, et perfici valeant.

¿Erit perfecta Logica illa, quae Criticam non edoceat?

Non erit. Ut enim veritas inveniatur non solum necesariae sunt eae regulae, quibus recté ratiocinemur, sed etiam illae, quibus et examinemus, et intelligamus aliorum cogitationes.

* ¿ *Quid praestare debet Ars Logico-critica ut finem suum assequatur?*

Quinque: Rationem emendare, mentem ad inventionem cognitionemque primarum notítiarum dirigere, regulas judicandi de veritatibus, ratiocinandi, ordinandique tradere. His enim possumus et ad veritatis inventionem, et expositionem, quibus scientiae constant, recté procedere. *

LIBER PRIMUS.

LOGICA EMENDATRIX.

CAPUT PRIMUM.

DE MENTE.

¿ *Quid curare in primis is debet, qui veritatem investigat?*

Animi sui naturam et operationes cognoscere, et deinde ejus morbos, et ignorantiae errorumque caussas, ut iis sublatis, aut repressis, expeditíus, et facilíus veritatem investigare, adipiscique queat.

* ¿ *Quam adduces probationem ut nobis mentem inesse conficias?*

Cogitamus. Est igitur in nobis princi-

pium activum cogitationum, seu caussa producens cogitationes. Haec vel mens, vel anima, vel animus nominatur.

¿Anima est quid distinctum, et diversum á corpore?

Revelatio, ratioque demonstrant duas has substantias esse planè distinctas, atque diversas.

¿Quomodo id demonstrat revelatio?

Dum docet animam corpori esse superstitem, nec dissoluto corpore interire, unà docet ejus essentiam, naturam, ac vitam á naturâ, et essentiâ corporis longè differre.

¿Quomodo id ratio demonstrat?

Ostendens corpus moveri ab animâ, hancque corpore uti tamquam instrumento. Illud autem, quod movet, distingui necesse est ab eo, quod movetur, et quod utitur ab eo, quod ei usui venit. Diversas autem substantias esse corpus et animam dubitabit nemo, cum sibi suadere nequeat vim cogitandi corporibus inesse posse.

¿Erunt ergo proprietates animae á proprietatibus corporis omnino diversae?

Abs dubio erunt. Duae enim substantiae diversae easdem nequeunt proprietates habere: sicut habere nequit aqua pro-

prietates easdem, quas ignis habeat.

¿ *Quaenam sunt corporis proprietates?*

Extensio divisibilis, soliditas, figurabilitas, partium mobilitas, vires gravitatis, inertiae: insuper qualitates sensibiles, seu facultates excitandi in nobis sensationes coloris, saporis, soni, odoris &c.

¿ *Insunt animae aliquae ex istiusmodi proprietatibus?*

Minimè: Cum enim substantia sit incorporea et simplex, nec divisa esse potest, nec figurata, nec suis in partibus, quibus est orba, mobilis. Viribus, quibus resistat corporibus, quae corporum tantum propriae sunt, destituta est. *

¿ *Quaenam sunt animae proprietates?*

Intellectus, appetitus, libertas, voluntas, facultas corpus movendi, vis animans, atque affectus.

¿ *Quid est intellectus?*

Facultas animae, quâ percipit, judicat, ratiocinatur, et has omnes operationes, rectâ methodo et sistemate disponit.

¿ *Quid est perceptio?*

Intellectus operatio, quâ mens objectum aliquod cognoscit.

¿Quot, et qui sunt percipiendi, aut cognoscendi modi?

Sensatio, imaginatio, intellectio, reflexio vel conscientia, attentio sive meditatio, abstractio, compositio, reminiscentia.

¿Quid est sensatio?

Perceptio objecti, quod in organa sensuum agit: v. g. perceptio odoris floris cujuspiam, quem oleamus.

¿Quid est imaginatio?

Perceptio objecti quâ mens aliquid fingat. Sic cognoscimus objectum corporeum absens, quasi esset presens, ut dum noctû Solem nos menti exhibemus: sic cognoscimus objectum incorporeum ad instar corporis, velut Angelum sub imagine alati juvenis. Sic demum cognoscimus objecta parva tamquam magna &c.

¿Quid est intellectio?

Perceptio immaterialis objecti in se nullo corporeo phantasmate adumbrati. v. g. perceptio virtutis, vitii &c.

¿Quid est reflexio?

Est cogitatio cogitationis, id est, cum advertimus nos cogitare.

¿Quid est meditatio?

Est diù perceptis notitiis haerere, vol-

vereque animo attentè, et accuratè, quò seu planè intelligamus, seu memoriae penitus committamus.

¿ Quid est abstractio ?

Est percipere velut separata, quae naturâ conjuncta sunt: v. g. omne corpus longum est, latum, profundum: longitudinem perpendo, quin de latitudine et profunditate cogitem. Modus hic cognoscendi, quo hac consideratione utor, vocatur abstractio.

¿ Quid est composito ?

Percipere tamquam unita, quae naturâ sunt separata, ut dum montem aureum percipio.

¿ Quid est reminiscentia ?

Actus mentis, quo iterum rem antea perceptam percipimus.

¿ Idem est reminiscentia, ac memoria?

Minimè. Haec est mentis facultas, quâ iterum rem antea perceptam percipere possumus.

¿ Quid est judicium ?

Est clara perceptio convenientiae, vel repugnantiae duarum vel plurium idearum, cui perceptioni unitur actus affirmandi, sive negandi. v. g. Sol est splendidus.

¿ *Quid est ratiocinium* ?

Mentis actio, quâ plures notitias, quarum una ab alia pendeat, conteximus, ut quod latebat filo idearum detegere valeamus. v. g. utrum äer sit gravis non statim sentio: utar ergo hoc ratiocinio.

Quod premit inferiora corpora est grave;
Ast äer premit inferiora corpora,
Ergo äer est gravis.

¿ *Quid est methodus* ?

Est ordo, quo judicia et ratiocinia disponuntur, ut veritas aut inveniatur, aut explicetur.

¿ *Quid est sistema scientificum* ?

Est concatenatio plurium veritatum per judicia, ratiocinationes, et methodos detectarum. v. g. Geometria, Phisica, &c.

? *Ratio et ingenium sunt animi proprietates* ?

Utique.

¿ *Quid est ratio* ?

Est facultas percipiendi et ratiocinandi.

¿ *Quid est ingenium*?

Acumen mentis in percipiendo. Qui ergo valent excogitando ingeniosi dicuntur, judiciosi, qui cogitationibus rectè utuntur.

¿Quid est appetitus?

Animi propensio ad bonum sive verum, sive apparens,

¿Appetitus est quid á voluntate diversum?

Est quidem: plura enim appetimus, quae nolumus. Sic vir probus divitias, quas intuetur, desiderabit; sed nolit, si illas non nisi furto habere queat.

¿Quid est libertas?

Facultas mentis agendi, et cessandi, prout libitum fuerit.

¿Quid est voluntas?

Libera mentis determinatio, quâ aliquid sequimur, aut fugimus. Itaque voluntas est libertatis actio.

¿Quid est potentia motrix?

Facultas, quam habet anima, movendi corpus.

¿Quid sunt affectus?

Commotiones sanguinis, et spirituum, provenientes ex opinione boni vel mali. v. g. amor, ira, metus &c.

* *¿Ubi anima suam sedem habet?*

Probabilior hâc super re sententia est illa Platonis sentientis substantiam animae esse in cerebro, ubi ejus sunt nobiliores

operationes intelligendi, et volendi: ast ejus sensitivam, et vivificam vim per totum corpus diffundi. *

CAPUT SECUNDUM.

DE CAUSSIS IGNORANTIAE, ET ERRORUM IN GENERE.

¿ Quid est ignorantia?

Nullam rei, quam ignoramus, informatam animo notionem habere.

¿Quid est error?

Cognitio falsa, quae pro vera habetur, aut vera, quae habetur pro falsa.

¿ Pejor est ignorantia an error?

Error, cum melius sit nil scire, quam falsa scire.

¿Ubi reperitur error?

In ideis, in judiciis, in ratiociniis, in methodo.

¿ Quid est idea falsa?

Quae suo objecto non est conformis.

¿ Quid est judicium falsum?

Illud, quo de aliquo affirmamus, quod illi non convenit, aut negamus, quod convenit.

¿Quid est ratiocinium falsum?

Illud, quo conclusio deducta judicium falsum, aut perperam deductum continet.

¿Quot modis hic error exoritur?

Tribus: Aut quia praemituntur falsa principia, aut quia falso applicantur, aut quia ex veris rectéque applicatis falsum deducimus.

¿Quando error in methodo irrepet?

Quando ita ordinamus cogitationes, ut aliae aliis lumen non praestent, et eas confundimus, et cum rebus á proposito alienis miscemus.

¿Quinam sunt ignorantiae, et errorum caussae?

Aliae internae, externae aliae dici possunt.

¿Quaenam internae?

Quae nobis ipsis ingestae sunt, vel in animo vel in corpore.

¿Quaenam externae?

Quae ad extra nos circunstant.

Recenseas ignorantiae, et errorum caussas in animo existentes

Ingnorantia ipsa, in qua nascimur: mentis brevitas: imbecillitas memoriae et intellectus: libido omnia sciendi: amor proprius: deffectus voluntantis: dominantes affectus.

¿ Quaenam sunt caussae ignorantiae et errorum ex parte corporis ?

Naturalis quaedam pigritia: temperamentum et phantasia: sensuum paucitas, et imperfectio.

¿ Quaenam sunt externae, quas innuisti, caussae ?

Parentes, Populus, Magistri,

CAPUT TERTIUM.

DE CAUSSIS IGNORANTIAE ET ERRORUM IN SPECIE, AC PRIMUM DE IIS, QUAE IN ANIMO EXISTUNT.

¿ Homines, statim ac nascuntur, notitias habent ?

Non habent. Philosophi humanos animos nudae tabulae, in quâ nil sit depictum, assimilare non dubitarunt.

¿ Quomodo primas notitias adquirimus ?

Paulatim usu sensuum informes quasdam notiones comparamus, quas deinceps sensim meditatione, et experientiâ provehimus.

¿ Quomodo id conficies ?

Quia infantes, nisi usu edocti fuerint,

sine ullo timore manum flammae admovent, lapides, ligni frusta &c. in os ingerunt.

¿ *Ex iis autem quaenam deducenda?*

Quod major hominum pars in ignorantia perseverat.

¿ *Quare perseverat?*

Quia pauci durant in labore, prout par est, ut ex ignorantiâ emergant.

¿ *Est magna mentis capacitas?*

Brevissima est: plura etenim sunt, quae nec magna ingenia cogitatione attingant.

Brevi nostrae mentis capacitati accedit forsitan altera infelicitas?

Nempe: Imbecillitas intelligendi, et recordandi.

¿ *Intelligendi imbecillitas omnibus est aequalis?*

Non est: Quidam sunt, qui vix trium notitiarum concatenationem perspiciant. Hos unius Sillogismi homines appellare possis. Alii seriem quidem notitiarum pauló longiorem intueri possunt: ast sunt plura, quae vel perspicaciores inextricabilia inveniant.

¿ *Memoriae imbecillitas omnibus est aequalis?*

Minimè: Sunt enim memoriae magis,

et minus valentes, firmae, et vivaces.

¿Quaenam alia est mentis nostrae infirmitas?

Voluntatis deffetus, quo fit, ut attentionem illam non habeamus, quae est scientiarum unica conciliatrix, et ignorantes maneamus.

¿Quomodo ab his animi morbis errores gignuntur?

Brevitas et imbecillitas intellectûs atque memoriae, et voluntatis deffectus, ignorantiae tantum caussae essent, ni cum libidine omnia sciendi, amoreque proprio conjungerentur. Ast ita haec conjuncta in innumeros errores nos ducunt.

¿Quomodo sciendi libido et mentis nostrae brevitas, et imbecillitas, errores pariunt?

Brevitas, et imbecillitas mentis cum hac libidine junctae eò nos ducunt, ut credamus ea scire, quae nostram excedunt capacitatem: ut absque ordine studeamus: ut ideis confusis, et inadaequatis sistamus: ut iis studiis vacemus, quae statui nostro non sint convenientia, et conformia: ut plus, quam par est, novitati studeamus.

¿ Quodnam emergit damnum ex vestigationibus rerum, quae nostram excedunt capacitatem ?

In primis inútiliter teritur tempus, quod rebus necessariis, et utilibus insumi poterat. Insuper sciendi prurigine immoderatâ agitati in animum inducere non possumus oleum et operam perdidisse, et vanas conjectationes nostras tamquam veritates habemus.

¿ Quae cautiones ex hâc veritate ducendae sunt ?

Hae duae. Ne ea perquiramus, quae sciri á nobis nequeunt, aut scita non prossunt. Mentem nostram necessariis tantùm et utilibus veritatibus inquirendis intendere satagamus. Rectè Seneca scripsit: *necessaria ignoramus, quia superflua didicimus.*

¿ Quot modis perversus esse potest studiorum ordo ?

Quatuor 1.° Quia studia sumamus, quibus necessaria media non comparavimus: 2.° Quia res scientiarum extra propria loca inordinatím perspiciantur: 3.° Quia studia sumantur propio statui, et officio non convenientia: 4.° Quia nimiùm novitatem amemus.

¿Quomodo error nascitur ex studiis, quibus necessaria media non comparavimus?

Chimaeras videbit is, cui auxilia lumen scientiis, quas insequitur, affulgentia desficiant. Sic Theologiam, Medicinam, Jurisprudentiam erroribus conspurcatam adipiscetur ille, qui ad has scientias Philosophiâ distitutus accedat: cum sit veluti fax, quâ remotâ obscura scientiarum latibula non clarescent.

¿Quomodo errores inversa rerum discendarum methodus propinabit?

Haec ad brevitatem mentis notitiarum addit, earumque connexuum, confusionem. Qui vero ad plura simul attentionem divertat, confusionem hanc adaugebit ¿Quomodo enim brevis mens absque continuâ et non interruptâ attentione recté intelliget?

¿Quomodo error gignitur ex studiis statui et officio non convenientia?

Qui ita studeant, cum necessitas coegerit ut de rebus officio, et statui propriis tractent, errent necesse est.

¿Amare possumus novitatem absque periculo?

Immoderatus omnis amor est noxius. Novitati enim dum aequo justiùs studemus,

fieri non potest quin in errores plurimos incidamus: inde enim fit, ut gloriae ambitiosi, dum vetera fastidimus, novos errores incauti nobismet propinemus. Ast non minùs errant, qui nimiùm novitatem, quam qui antiquitatem amaverint: fastidientes enim hi nova veritates plures antiquis ignotas amittent.

¿ *Ab investigatione ergo veritatis abstinere omninò debebimus ?*

Minimè. Modus est adhibendus. Rectè procedet is, qui nec nimiùm de viribus propriis desperet, ita ut aliorum servum pecus evadat, nec alios omnes ut truncos contemnens, et infinitum metiri cupiens, ineptias, absurdaque proferat.

¿ *Ad proprium explorandum ingenium vestigare nova non juvat ?*

Experimentum fiat in mechanicis, ut Agricultura, Nautica &c. at non in intellectualibus.

¿ *Quare ?*

Quia, si in illis infaustus sit exitus, temporis tantum jacturam fecimus; in aliis et temporis, et veritatis.

¿ *Quaenam alia est ex parte animi errorum caussa ?*

Voluntatis deffectus cum nimio amore

nostrì conjunctus. Ille ab studio retrahit, et eò magis retrahet., quò plura nos scire putemus. Amore autem nostrì vehementiùs acti ea nos scire credimus, quae ignorabamus, et omnia judicia nostra ut vera habemus, quo pluribus modis turpissimè ludificamur.

¿A quibus provenit voluntatis deffectus?

A pluribus caussis 1. est quaedam animi inertia, naturaleque velut pondus, quod non nisi magno conatu deturbari potest, et vinci. 2. Voluptates corporeae, quibus distrahimur, quaeque mentis acumen retundunt, naturalemque animi ſpigritiam augent. 3. Opinio nimiae mentis nostrae imbecillitatis, quâ ita evadimus timidi, ut plurima, quibus pares essemus, tentare non audeamus. Sic Peripatetici, Aristotelem ut apicem mentis humanae venerantes, ea non invenerunt, quae postea á Recentioribus sunt inventa. 4. Timor, isque vanus, amittendae, si vacamus litteris, valetudinis. Opinio haec falsissima: fuere siquidem permulti studiosissimi et aetate longoevi. Democritus ad centum, Plato ad octoginta et unum, S. Hieronimus ad nonaginta et unum, Newtonus ad octoginta quinque annos vitam duxerunt.

5. Eorum studiorum delectus, quae proprio genio adversentur. Violentia, quam nos his studiis facimus, attentionem, et profectus impediet. 6. Falsa opinio scientiam cum píetate pugnare: falsa inquam, fuere siquidem benèmulti scientiâ, et pietate conspicui, ut S. Clemens Alexandrinus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Augustinus, S. Hieronimus, S. Tomas &c. 7. Magistrorum illiberalis, implexa, et rupta docendi ratio, ac via. His fit ut animum á litteris avertamus, aut sine attentione studiis frustraneam operam demus.

CAPUT QUARTUM.

DE ERRORIBUS, QUI EX AFFECTIBUS NASCUNTUR.

¿ Quaenam est alia ex iis errorum caussis, quae sunt in animo?

Affectus: odium nempe, amor, avaritia, ira, dolor, laetitia, spes, timor, aliaeque hujusmodi animi perturbationes.

¿ Quomodo ex his progignitur error?

Anfferunt attentionem scientiae conciliatricem, acumen mentis retundunt, resque

exhibent diversas ab iis, quae reverâ sunt. Plato cum nebulâ affectus confert, Plutarchusque cum coloratis vitris, quae omnia objecta suo colore perfundunt.

¿ Quomodo conficies affectus attentionem aufferre ?

Mens nostra semper á vehementioribus sensationibus, vel impressionibus, adeoque á vehementiori dolore, vel voluptate impellitur. Impressiones autem, quas ex affectibus experimur, vehementiores esse assolent, quàm quae ab amore veritatis oriuntur. Hinc qui nimiâ admiratione, laetitiâ, odio, moestitiâ &c. est concitatus, nulli seriae investigationi vacare potest.

¿ Quomodo conficies affectus mentis acumen retundere ?

Quotidiana nos experientia docet homines vehementioribus affectibus concitatos, ut furente irâ, aut ingruente metu, difficilliores veritates (ne dicam facilliores) capere nullatenùs posse.

¿ Quomodo comprobas affectus res ostendere ab iis, quae in se sunt planè diversas ?

Dum affectibus agitamur res, non prout sunt, nobis se exhibent, sed prout ab ipsis

affectibus depinguntur. Sic defformitates, et vitia in objectis, quae amamus, perfectiones, virtutesque credimus: virtutes, et perfectiones, vitia, et defformitates in rebus, quas odio habemus.

¿ Quaenam cautiones praescribunt Philosophi ut errores, qui ex affectibus oriuntur vitari possint?

Has tres: 1. Affectus in eorum ortu compescere: inveteratis enim malis ¿quis medeatur? 2. Rationem colere: ignorantia enim inordinatorum affectuum est velut nutrix. 3. Cum serena sit mens ad examen vocare ea, quae agitati affectibus judicavimus.

CAPUT QUINTUM.

DE ERRORIBUS, QUI EX CORPORE ORIGINEM DUCUNT.

¿ Quot modis corpus nostrum esse potest caussa errorum?

Tribus praecipuè: Pondere quodam corporis naturali: temperamento, et phantasiâ: sensuum paucitate, et imperfectione.

Primam ex allatis errorum caussam explica.

Quaedam est corpori nostro gravitas, et ignavia, quâ labori indormiscimus, mensque velut humi affigitur, nisi perpetuo calcari stimuletur. Hinc pueri, et adolescentes lectionem, meditationem, laborem quemque aversantur, aut magnâ cum ignaviâ lentèque, sub initium prosequuntur.

¿ Quaenam mala á corporis gravitate nascuntur?

Haec quinque: 1. Ut pauca discamus. 2. Ut scitu paulò difficiliora praetereamus. 3. Ut superficie scientiarum contenti simus. 4. Ut ideis confusis, et inadaequatis nobis satisfaciamus. 5. Ut praejudicia, et errores non animadvertamus, eosque odio habeamus, qui ad diligentem inquisitionem nos revocant. Hinc errorum numerus incredibilis oritur.

¿ Quomodo his malis occurremus?

Has sex regulas observantes.

1. Conator paulatim, et continuatâ attentione, ac mediatione, studiorum habitum contrahere. Nec cessandum etiam si sub initium cum pondere corporis, taedio, et fastídio luctandum fuerit: impedimenta enim haec continuato exercitio minora fiunt. *Nihil est*, inquit Seneca, *tam diff.cille et*

arduum, quod non humana mens vincat, et in familiaritatem perducat assidua meditatio.

2. Scribas frequenter, vel saltem optimum librum transcribas: si primum facias, excitabis philosopandi saporem si secundum, judicium tuum in optimi auctoris judicio formabis, gustumque optimi indues.

3. Litteratos viros cole, eorumve vitas lege: transmeat enim ex iis in animum desiderium sapientiae, et philosophandi vigor augetur.

4. Ea cave, quae gravius corpus, animumve pigriorem efficiunt, cujusmodi sunt ludi, qui attentionem ab studio avertunt, nimium somnum, quo vires animi et corris hebetantur, spectacula, nimius cibus, et potus, voluptates tactûs, et aliae nimis gestientes.

5. Studiorum habitum semel contractum desuetudine ne sinas languescere: faciliùs enim ille amittitur, quàm adquiritur. Itaque aequabili vitae genus sectari debes.

6. Corporis sanitatem diligenter custodi, et victûs mediocritate, et aliquo ipsius corporis exercitio, et demùm curarum, quoad fieri possit, vacuitate.

¿ Quaenam erat secunda errorum caussa in corpore existens?

Temperies corporis, et phantasia, quae ab hac temperie pendet.

¿Quot sunt temperamenta simplicia?

Quatuor: flegmaticum, seu crassum et tardum, sangúineum, seu hilare, cholericum, seu irritabile, melancholicum, seu tetrum.

¿Qui sunt temperamenti flegmatici caracteres?

Memoria magna et firma, parum judicii, nihil ingenii.

¿Qui sunt caracteres temperamenti sanguinei?

Bonum ingenium, valdè exiguum judicium, laboris impatientia, et inconstantia.

¿Qui sunt caracteres cholerici?

Acumen ingenii, judicium solidum, laboris patientia.

¿Qui demum caracteres temperiei melancholicae?

Mentis confusio, et in excogitando et agendo singularitas.

¿Sunt temperamenta ex aliquibus illorum simplicium mixta?

Sunt quidem: Hominesque, qui iis gaudent, tales sunt, quales sunt caracteres temperamenti in mixtione praedominantis.

¿A quo provenit temperamentum?

A corporis structurâ, á vi fibrarum, et nervulorum, á naturâ, et motu sanguinis, et spirituum.

¿ Quaenam externae temperamentorum caussae ?

Cibus et aer: Nam cibo conficitur sanguis, in quo praecipua temperamenti ratio consistit: ab aere totius humanae machinae motus, et sanguinis agitatio, et natura plurimùm pendet. Hinc pro varietate climatum varia hominum corpora, varii mores. Angli sunt melancholici, Galli sanguinei, Germani flegmatici, cholerici Hispani, inter Gallos, Hispanosque medii Itali.

¿ Quomodo conficies temperamenta esse caussas errorum ?

Ecce. A temperamento ingenii pendet acumen, tarditas, confusio, inconstantia, et pleraeque aliae mentis nostrae affectiones, ex quibus opiniones, et affectus nascuntur temperamento conformes. Hinc flegmatici ferè semper dubii sunt, et ancipites, melancholici fanatici, sanguinei praecipites, et rerum corticibus sibi satisfacientes, cholerici acuti, meditabundi, judicii acris, et solidi, adrogantes nimiùmque sibi attribuentes. Praeterea á temperamento magna ex parte

pendet foecunda errorum mater phantasia.

¿ Quid est phantasia ?

Quoddam sensuum omnium commune velut receptaculum, in quod omnes confluunt sensuum imagines.

¿ Quid fit ut phantasia errores progignat ?

Secundum temperamenti, ac inde secundum phantasiae naturam, imagines sensibiles, quibus objectorum notitias haurimus, miris modis augentur, minuuntur, copulantur, formas, coloresque mutant. Cognitiones ergo nostrae phantasiae colorem imbibunt, ex quo errores ducunt originem. Adde quod opiniones phantasticae facillimè haberi possunt pro sensationibus, si phantasia sit paulò vividior. Insuper phantasia, dum in omnibus cogitationibus nostris se admiscet, efficit quod, aut non possimus intelligere incorporea, et abstracta, aut, dum intelligere conamur, ea velut corpora nobis repraesentemus.

¿ A quo provenit phantasiae vivacitas ?

A sanguinis calore, et copiâ, á robustiori cerebri temperie, et facilliori fibrarum irritatione. Eò itaque vividior, et fortior erit phantasia, quò homo robustior, ca-

lidior, irritabiliorque fuerit. Hinc agresti, et rudes populi vividissimâ sunt phantasiâ.

¿ Robustior est phantasia in iis, qui supra alios rationem colunt, an in iis, qui infra alios ?

Quò debilior est ratio, eò robustior est phantasia. Hinc videmus in pueris, foemelis, idiotisque populis magnam esse phantasiae vim.

¿ Quid faciendum, ut quoad fieri possit, temperamenti, et phantasiae inordinatio corrigatur ?

Variae regulae servandae sunt. Quilibet sûi temperiem attentè perpendat, cognitio enim morbi remedii est, ut dicunt, inventio.

Qui temperamento gaudent sanguineo has regulas servent. 1. Si phantasiâ nimis vividâ, et inconstanti se esse sentiant, caveant ne ex phantasiâ judicent de rerum naturis, neve sûi affectiones rerum naturae tribuentes eam aestiment, non qualis est, sed qualis eis videtur,

2. Ab iis omnibus caveant, quae vim phantasiae majorem, et inconstantiorem facere solent, veluti spectacula, pompae, poetarum, fabularumque romanensium lectio,

loca nimiùm amoena, quae animum quasi dilûunt, et ea omnia, quibus ipse animus aequo justiùs exhilarescit, ratio imminuitur, et, quod consectarium est, vires phantasiae intenduntur.

3. Continuatae lectioni, meditationi, aequabili vitae ordini assuescant: malis enim omnibus constans patientia medetur. Caveant á praecipitatis judiciis: in pueriles enim ineptias proni sunt sanguinei, in quibus plus ingenii est, quam judicii.

¿Quid faciendum iis, quibus tetrum, et melancholicum temperamentum?

1. Temperamentum istud potest mitescere delectû ciborum, ex quibus bonus sanguis procreari possit, et remediorum eorum usû, quibus cerebrum quasi á fuligine, nebulâque humorum valeat elui. Hinc est quod lacrymae melancholicis sint valdè utiles,

2. Cavendum est ab spectaculis tragicis, á tragoedorum lectione, iisque omnibus, quibus, aut incalescat animus, aut tristetur.

3. Confusio mentis minuenda lectione librorum perspicuorum, et methodicorum, praesertim de rebus Geometricis.

4. Abstinendum á praecipitatis judiciis

Judicia iterum, atque iterum ponderanda. Melancholicis enim ii inter mortales sunt, qui magis ex animi sui colore de externis rebus judicare soleant.

¿ Quasnam praescribis regulas iis, qui temperamento tardo et phlegmatico polleant ?

1. Excitentur aemulatione aequalium, sapientiae amore, librorum criticorum lectione, virorum perspicacium, criticorum, et eloquentium conversatione.

2. Loca humida, et crassa fugiant, et cibos crassiores.

3. A commercio cum tardis, et tetris caveant: mores enim conversatione transmeant, et phantasia nostra pingitur ex eorum genio, quibus saepe, et familiariter conversamur.

¿ Quid iis praescribendum, qui temperamentum cholericum habeant ?

Ad eorum adrogantiam coercendam iis est praecipiendum, ut omni in re sensum communem, optimum sciendi magistrum, consulant: ut sibi solis non fidant. His servatis ab erroribus erunt liberi, in quos incident ea tentando, quibus fortè sunt impares.

¿ Quaenam erat tertia caussa errorum

á corpore provenientium?

Sensus.

¿Quomodo sensus errorum sunt caussae?

Et voluptatibus, quas ingenerant, et eorum paucitate, et imperfectione.

¿Quomodo voluptatibus nocent?

Voluptates, quae sensus afficiunt, sunt vividissimae: quamobrem animum totum occupant, ita ut cum ab iis demulcemnr, nulli alteri rei serió incumbere valeamus. Errabimus ergo attentionis deffectû.

¿Quid intelligis per sensuum paucitatem?

Paucos voco sensus, non quod rebus vitae necessariis, et utilibus cognoscendis sufficientes non sint, sed quia res alias praeter has non attingunt.

¿Quomodo sensuum paucitas errores progignet?

Illa caussa est cur plurima ignoremus, et falsâ opinione nobis persuadeamus, nulla alia objecta esse extra nos, quam quae quinque sensibus nostris percipere possumus.

¿Quomodo sensuum imperfectio errores producit?

Imperfecti sensus, cum non rerum essentiis, sed utilitati nostrae sint adaptati, res

non possunt referre prout sunt, sed prout nobis sunt noxiae, aut utiles. Dum ergo de rerum naturâ, magnitudine, figurâ, motu, extensione, distantiâ, colore, duritie, pondere, odore, sapore, et caeteris ex ideis sensuum judicamus, in gravissimos errores incidimus.

Proffer exemplum.

Si arenae granula nudis oculis observemus, rotunda, aut ferè rotunda apparent; sed si postea microscopium adhibeamus, variis, irregularibusque figuris donata exhibentur.

¿Quaenam regulae servandae sunt ut hos errores caveamus?

Cuilibet malo propria sit medicina. 1. Si voluptates sensuum attentioni officiunt, vividae voluptates sensuum fugiendae

2. Si plura sunt, quae sensus non tangunt, ne putes ea existere tantùm, quae sensibus subjiciuntur.

3. Si rerum tantùm existentiam, et relationem sensus exhibent, de rebus externis solo sensuum officio non judicandum.

4. Rationem, et sensum communem in consilium adhibe: curatoque ut sensus habeas, quo fieri potest, perfectiores, et armato illos instrumentis qùam optimis.

CAPUT SEXTUM.

DE EXTERNIS ERRORUM CAUSSIS.

¿Quot sunt externae errorum caussae?

Tres: Parentes, Populus, Praeceptores.

¿Quomodo Parentes ignorantiae et errorum sunt caussae?

Curam educationis negligendo, eam non rectè instituendo, praejudiciaque confirmando.

Haec pluribus explica.

Parentes plures nihil omninó educationis faciunt: alii et exemplis, et verbis, viles, et sordidas inclinationes infantibus ingerunt: alii iis nocent, aut nimiâ indulgentiâ, quae eos molles, pigros, adrogantesque reddit, aut rigore nimio, qui eos stupidos, studiorumque inimicos efficiet: alii demum suas, etiam falsas, absurdasque opiniones filiis suadent. Ita errores quidam hereditarii in familiis evadunt.

¿Quomodo Populus errorum est caussa?

Is innumera praejudicia fovet, seu mores, vitaeque rationem spectes, seu rerum, quae nos ambiunt, notitiam. Praejudicia autem isthaec diversa sunt pro Nationum,

climatum, morum diversitate: inde Nationum odia nascuntur, et bella aeterna.

¿ Opiniones hae emendari facilè possunt ?

Non nisi difficillimè, nos enim occupant ante usum rationis: cum verò adoleverimus, vix unus ex nostris est, qui illas ad examen vocare audeat ob populi dominantem auctoritatem.

Aliqua ex praejudiciis popularibus enumera.

Ecce aliqua: vocabulis uti, quibus verae ideae non respondeant: ad Deum confugere tamquam ad caussam rerum earum, quae á secundis caussis nobis ignotis proveniant: judicium de rebus ferre non ex ratione, sed ex opinionibus apud plures, licet minús sapientes, communiores.

¿ Quibus modis á Magistris errores haurimus ?

Magistri discipulis nocent, aut moribus, aut auctoritate, aut doctrinâ.

¿ Quomodo moribus ?

Quia sunt juvenes imitationi propensissimi: propterea antiquorum Philosophorum sectis fuit observatum Heracliticos fuisse obscuros, Pitagoricos impostores, graves Plato-

nicos, molles Paripateticos, severos demùm Stoicos.

¿ Quomodo Magistri doctrinâ errores suppeditant?

1. Dum inutilia docent, et falsa, vel ea, quae non satis intellexere, quo fit, ut obscurè illa inordinatèque tradant.

2. Dum puerorum mentem corrumpunt eorum excolentes memoriam propè infinitâ vocabulorum farragine, ingenium verò, et judicium negligunt. Nocet pueris eos exoticis linguis instruere: puerilis enim intellectûs ignea vis, dum minutis quisquiliis memoria excolitur, retunditur, et hebetatur. ¡ Ingenium ita obtusum quot, et quantis est praecipitiis obnoxium!

* *¿ Quomodo ergo est educatio puerorum instituenda?*

Juxta praeceptum Pitagorae scribentis naturam non esse cogendam, sed obsequendam. Excolendi ergo in primis sensus, et phantasia, Geographiâ, Historiâque naturae succintè delineatâ, et similibus. Secundó, excolendum ingenium Geometriâ sistemateque aliquo philosophico ipsi ingenio apto. Tertió, excolendus intellectus Metaphisicâ. Quartó, demum excolendum judicium legum Historiaeque civilis studio.

¿ Quo ergo tempore discendae linguae?

Quando infantium potentiae jam robustae molesto, servilique linguarum studio non opprimantur. *

¿ Quomodo auctoritate Magistri noxii sunt?

Opiniones omnes Praeceptoris venerantur juvenes, sicque ejus errores imbibunt mordicùsque deffendunt: vel putant nihil posse se melius Magistris suis reperire, quo ab omni investigatione arcentur.

¿ Quo nomine insigniuntur ii, qui absque examine Magistrorum sententias recipiunt, atque deffendunt?

Vocantur á Philosophis ingenia servilia, eum credere malint, quàm sapere.

¿ Quomodo eos vocant Philosophi, qui veritates investigantes rationem, non auctoritatem sequuntur?

Eclecticos

¿ Per Magistros eos tantùm intelligis, qui vivâ voce doceant?

Vel libros intelligo, qui sunt velüt quidam Magistri mortui.

¿ Ut Eclectici simus revelationis auctoritatem debemus excutere?

Neutiquam: recta enim ratio docet bre-

vem, imbecillemque mentem nostram demississimé venerari debere auctoritatem Dei infalibilem.

¿ Quas servabimus regulas ut á tribus allatis fontibus non hauriamus errores, haustosve deponamus?

Has quatuor.

1. Si te non rité institutum agnoscas, sedulo tùi studio te purgare conaberis, et ita de integro vitam moralem, aut litterariam suscipies tamquam si heri fuisses natus. Amicis uteris perspicacissimis, et sinceris, reprehensionesque ab iis laeto animo ëxcipies.

2. Cum ignaro vulgo ne verseris, ejusque praejudicia diligentissimé perscrutaberis. Omnes tuas opiniones, cum adulta sit ratio, suique juris, ad examen vocabis.

3. Nullius hominis contemnes ingenium, de eorumque cogitatis non ex praejudiciis, sed ex rectâ ratione judicare conaberis.

4. Libertatem in Philosophicis coles: nulli aequo nimiùm credes: nullius in verba jurabis: Eclecticorum in morem philosophaberis.

LIBER SECUNDUS.

LOGICA INVENTRIX.

** Primos hominis in veritatem gressus in emendationem mentis tendere vidimus ¿ quid postea faciendum ?*

Logicae inventricis adjuti regulis primas rerum notitias haurire.

¿ Quodnam ergo erit hujus Logicae objectum ?

Ostendere quomodo, et unde primae rerum notitiae hauriuntur. Scientiae enim sunt velut catenae quaedam propositionum generalium perspicuarum, aut per alias claras demonstratarum. Propositiones autem terminis, ideis, vel primis notitiis constant. Hae ergo sunt fundamenta scientiarum. Objectum ergo Logicae illius, quae veritates in scientiis invenire doceat, erit ostendere unde, et quomodo primae rerum notitiae hauriantur. *

CAPUT PRIMUM

DE IDEARUM NATURA ET ORIGINE.

¿Quid est idea?

Imago vel species objecti, quod mens cognoscit: seu est quidquid menti fit praesens, dum ipsa percipit.

¿Cognoscere poterimus res absque ideis?

Minimé: Mens etenim nostra objecta extra illam posita nequit cognoscere, quin ipsa intra se videat representata. Cum autem objecta nequeant in mentem ingredi, necessum est ut ea in illorum imaginibus exhibeantur.

¿Idem est perceptio, ac idea?

Idem esse aliquibus Philosophis placuit; ast errant. Ideä enim est objecti imago; perceptio autem mentis actus, quo has imagines apprehendit.

¿Ideae nostrae unde originem habent?

Variae hâc super re Philosophorum sententiae circumferuntur. Nos interim judicamus ideas ab impressione objectorum in sensus, et á reflexione mentis, quâ has

actiones comprehendit, et confert, originem ducere.

* *¿ Haec sententia est certa ?*

Eam non tanquam certam, sed tanquam verosimillimam venditamus: quia licet caeteris probabilior; nullus tamen huccusque claré explicavit quomodo á sensibus, et reflexione ideae exoriantur. *

¿ Quisnam canon ex hâc propositione deducitur?

Hominem sensibus, et reflexione uti debere, si res existentes, et reales, prout sunt, cognoscere velit; non vero arbitrariis, fictis, et phantasticis, ni phantasticus reddi aveat.

CAPUT SECUNDUM

DE VARIIS IDEARUM GENERIBUS.

¿ Quomodo ideae dividuntur?

Ratione aspectuum, quibus eas possumus contemplari.

¿ Quot, et qui hic aspectus erunt?

Quatuor: Idearum origo: natura: relatio ad objecta: relatio ad mentem.

¿ Quomodo ideae dividuntur ratione originis?

In adventitias, factitias, et innatas.

¿ Quid idea adventitia?

Illa, quae á sensibus provenit, quales sunt ideae omnes rerum corporearum, quas sensatione percipimus.

¿ Quid est idea factitia?

Illa, quam sibi mens conficit, seu conjectura, et ratiocinio, seu alias ideas adventitias copulando, seu proportione et similitudine cum iis, quas sensus defferunt, seu aliis quibuscumque modis: v. g. idea montis aurei, Regiae adamantinae.

¿ Quid sunt ideae innatae?

Illae, quas Deus menti nostrae in ejus creatione impressit. Has sistemate nostro exclusas relinquimus.

¿ Quomodò ideae dividuntur illarum naturâ perspectâ?

In phantasticas, commentitias, intelligibiles, simplices, et compositas.

¿ Quid sunt ideae phantasticae ¿

Illae, quae res corporeas, aut incorporeas ad instar corporeae repraesentant.

¿ Quid sunt ideae commentitiae?

Illae, quas non á rebus recipimus, sed pro arbitrio fingimus. Haec vocantur in Scholis entia rationis.

¿*Quid sunt ideae intelligibiles?*

Illae, quae nec corpus, neque res ad instar corporis repraesentant. Tales sunt ideae virtutis, vitii, potentiae &c.

¿*Quid sunt ideae simplices?*

Eae, quibus nec mentali abstractione partes distinguere possumus.

¿*Unde proveniunt ideae simplices?*

Vel á sensibus, ut ideae coloris, odoris, saporis: vel ab abstractione, ut ideae potentiae, unitatis, existentiae, cogitationis &c.

¿*Quid sunt ideae compositae?*

Illae, quibus plures simplices ideas considerare possumus. Sic in ideâ corporis ideam longitudinis, latitudinis, profunditatis, impenetrabilitatis &c. quotidie distinguimus.

¿*Idem est idea composita, ac idea associata?*

Distingui solent: Compositae ideae sunt, quae sub uno vocabulo copulantur v. g. idea corporis: associatae vero, quae sub pluribus vocabulis longa serie connectuntur. Parasti longum orationis periodum: vix tibi subvenit primum verbum, statim caetera usque ad finem sponte exhibentur. Ecce idea associata.

¿ Quibus á caussis associatio idearum dependet ?

Ab his quatuor: nempe á sensatione, á ratiocinio, á liberâ phantasiâ, ab educatione.

Singula explica, et exemplis illustra.

Solemus percipere sensibus ideas concatenatas et conjunctas: idque seu uno sensu succesivè, seu simul pluribus sensibus. Talis est idea fulguris, tonitrui et coeli, quas conjungimus.

Idem efficimus ratiocinando: sic ex consideratione Universi caussam aeternam, cogitantem, potentissimam et optimam, Deum nempe, existere intelligimus. Dei idea Universi ideae ratiocinio est associata.

Phantasiâ liberâ plures associamus, ut videre est in Pictoribus, et Poetis.

Ab educatione etiam proveniunt plures ideae associatae, ut sunt opiniones nostrae omnes á Parentibus, á Populo, á Magistris, et libris acceptae.

¿ Omnes ideae compositae, et associatae sunt naturales vel reales, an arbitrariae?

Illae, quae proveniunt á sensu, á necesariove ratiocinio, reales sunt, minús-

que errori subjectae: non enim ex arbitrio pendent, sed ex caussis suis ita, ut post attentam reflexionem, et ratiocinationem intelligamus objecta idearum illarum esse non posse alitèr, ac ab ideis exhibentur. Quae autem á phantasiâ et educatione pendent, ut plures scientiarum hipotheses, populariaque praejudicia, arbitrariae sunt, et pluribus erroribus obnoxiae.

¿ *Ideae simplices sunt in hominibus omnibus eaedem?*

Sunt: Cum enim in iis partes non distinguantur, seu cum rem unam tantum exhibeant, omnes idem percipiunt: sic cum vocem *rubrum* profero, eamdem ideam omnes efformant.

¿ *Ideae compositae et associatae in omnibus eaedem sunt?*

Nullomodò: Doctus siquidem vocabulo ideam compositam aut associatam exprimente prolato, multas ideas percipiet, quas certè non percipiet indoctus.

¿ *Quomodò ideae dividuntur ratione objectorum?*

In positivas, negativas, singulares, particulares, universales, absolutas, relativas, abstractas, concretas, reales, et chimericas.

¿Quid est idea positiva, quid negativa?

Positiva est illa, quae quid res sit repreasentat v. g. idea lucis, soni &c.; negativa verò quid res non sit, ut idea tenebrae, quae est lucis privatio.

¿Quid est idea singularis?

Quae rem unam individuam, seu determinatam repraesentat. Talis est idea, quam quis sûi ipsiûs habet.

¿Quid est idea particularis?

Quae rem aliquibus communem exhibet.

¿Quid est idea universalis?

Quae illud repraesentat, quod individuis pluribus est commune abstractum á circumstantiis omnibus, quibus individua individua sunt. v. g. idea hominis, animalis.

¿Universali ideae objectum ad extra respondet?

Minimè: quia res, quae extra nos existunt, singulares sunt. Sic arbor in genere non existit, sed talis, et talis arbor.

¿Quomodo Scholastici universalia dividunt?

Porphyrium sectantes ea in quinque dividunt classes, genus, speciem, differentiam, proprium, et accidens.

¿Quid est genus?

Idea communis, quae alias ideas minùs communes, et á se propagatas comprehendit. v. g. animal hominum et equorum genus est, quia notionem utrisque communem designat.

* *¿Quotuplex est genus?*

Summum, medium, infimum, proximum, et remotum.

Singulorum affer definitiones.

Summum est, quod ideae ipso universaliori non subjiciatur. v. g. Ens.

Medium est, quod universaliori ideae subjicitur, et aliam sub se continet: v. g. substantia, quâ universalius est ens, et sub se corpus desinit, cujus idea est minùs universalis.

Infimum sive proximum est, quod speciei statim adhaeret, ut animal, quod homo, id est species, statim consequitur.

Remotum illud est, inter quod et speciem aliud genus est medium. Ergo idem est ac genus medium supra difinitum. *

¿Quid est species?

Idea universalis, que pluribus est individuis conveniens. v. g. homo, qui enuntiatur de Petro, Paulo, et caeteris humanae naturae individuis.

¿*Quid est individuum?*

Illud, quod in plura talia, quale ipsum, nequeat dividi.

¿*Quid est differentia?*

Idea universalis, per quam genus unum ab alio, species ab aliâ specie, vel individuum ab individuo distinguitur: 1. differentia generica dicitur: v. g. vita est differentia generica inter animal et lapidem: 2. specifica nominatur: sic rationalitas est differentia specifica inter hominem et brutum: 3. differentia vocatur numerica: Sic individuatio, ut dicunt, sive formae numero diversae Petrum, et Paulum distinguunt.

¿*Quid est proprium, sive proprietas?*

Illud, quod rei convenit necessariò, licet illam non constituat: sive illud, quod, positis rei constituentibus, manat necessariò: v. g. in homine ridendi facultas.

¿*Quid est accidens?*

Idea universalis, quae rei convenire potest, aut non convenire, salvâ ejus essentiâ: v. g. albedo in hominibus.

¿*Quid est idea absoluta, quid relativa?*

Prima illa est, quae nullam cum aliis relationem, sive nexum continet, ita ut

necesse non sit quod, unâ perceptâ, statim altera percipiatur. v. g. idea hominis. Relativa viceversa.

¿Inter ideas relativas et relationis ideas discrimen aliquod intercedit?

Hoc intercedit, quod relationum ideae eae sunt, quae exhibent relationem aut nexum, relativae verò res exhibent nexum habentes. Sic idea creationis relationis est idea, craetoris verò et creaturae sunt ideae relativae.

¿Quid est idea abstracta?

Idea simplex ab eâ separatâ, cum quâ erat conjuncta. V. g. si de vasis alicujus profunditate cogito, quin de aliis ipsius vasis proprietatibus cogitem, ideam abstractam cudo.

¿Quid est idea concreta?

Illa, quae mihi exhibetur conjuncta cum iis omnibus, quibus naturâ suâ est copulata. v. g. idea corporis, quae mihi exhibet ens extensum, solidum, figuratum, grave, coloratum &c.

¿Quid est idea realis, quid chimerica?

Realis est illa, cui extra mentem objectum respondet. v, g. idea Solis: viceversa chimerica, ut idea montis aurei.

* *¿Lockius de idearum doctrinâ tam benemeritus, quomodo dividit ideas reales?*

In reales existentiae, et reales possibilitatis. Primae sunt quae objectum, quod extra nos verè existat, exhibet prout existens. Secundae vero sunt eae, quae ut possibile exhibent objectum reverâ possibile.

¿ *Ipse Lokius quomodò dividit ideas chimericas?*

In chimericas existentiae, et possibilitatis. Primae sunt, quae ut existens repraesentant objectum, quod extra nos non existat: secundae ut possibile repraesentant objectum, quod est impossibile. *

¿ *Relatione ad mentem, modumve cognoscendi quotuplex est idea?*

Clara, obscura, distincta, confusa, adaequata, inadaequata.

¿ *Quid est idea clara, quid obscura?*

Illa, quae objectum offert ita, ut, si iterùm occurrat, statim noscatur, clara erit: obscurá verò, quae objectum offert, quod occurrens iterùm non facilè dignosci valeat. Idea Lunae omnibus est clara. Idea Martis idiotae obscura, quia eum non distinguet nisi ejus visioni assuefaciat.

¿ *Quid est idea distincta?*

Illa, que non solum clarè objectum exhibet; sed etiam ejus proprietates prae-

cipuas, quibus ab aliis objectis facilè distinguntur. v. g. Idea trianguli, quae mihi non solùm figuram exhibet, sed figuram tribus lateribus clausam.

¿ Quid est idea confusa?

Illa, quae licet clarè objectum exhibeat, non tamen proprietates, quibus ab aliis objectis distingui possit. V. g. idea hominis ad longum visi, quo notas non distinguo, quibus quinam sit homo intelligam.

¿ Quid est idea adaequata, quid inadaequata?

Adaequata claré et distincté exhibet partes omnes, proprietates, et accidentia objecti; inadaequata non omnes.

CAPUT TERTIUM

OBSERVATIONES CIRCA NATURAM ET AFF CTIONES IDEARUM.

¿ Quot res exhibent ideae quando objecta repraesentant?

Tres: Existentiam, Essentiam, Relationem.

¿ Ideae factitiae sub his tribus respectibus consideratae sunt reales, an chimericae?

Ut plurimùm sunt chimericae, repraesentant siquidem objecta, quae non existunt, et forté nec existere possint.

¿ Et ideae adventitiae?

Quoad repraesetationem essentiarum, et relationum, ut plurimúm, falsae, et chimericae sunt: non enim repraesentare possunt veras rerum essentias, nec semper veras relationes. Ast quoad existentiae repraesentationem reales, et verae sunt: omnibus enim adventitiis ideis objecta respondent, quae extra nos reverâ existant, cum nihil non possit in sensus agere, quâ ex actione adventitiae ideae proveniunt.

¿ Circa ideas associatas quasnam Philosophi observationes efficiunt?

Nos monent plurimos errores ab ipsis oriri.

Praecipuos nota.

Potissimus committitur dum putatur ideas compositas uni, aut pluribus vocabulis, ex populi, aut Scholarum usu subjectas esse adaequatas: quo casu notionales essentiae pro realibus essentiis habentur.

¿ Quid intelligis per essentiam notionalem?

Illud, quod creditur rem aliquam cons-

tituere. V. g. credo hominis constitutivum esse, habere rationalem animam corpori organico unitam.

¿ Quisnam alius error idearum associationem comitatur ?

Credere tales esse res perceptas, earumque ordinem, qualis ideis associatis repraesentatur. Hae associationes, si ab infantiâ fuerint confectae, praejudicia evadunt, quae ad totam vitam hominis diffunduntur, et deponuntur numquan, cum vix de ipsis dubitare sciamus. Hinc illae nobis sunt ratiocinationum nostrarum principia, unde errores innumerabiles scaturiunt.

¿ Quaenam harum associationum praejudicia difficilliús deponi possunt ?

Ea, quae cum affectibus fuerint conjuncta.

Profer alicujus horum praejudiciorum exemplum.

Infans dum nutricem audit insolita quaedam vocabula vultu tetrico pronuntiantem, et simul tenebras indicantem, cum iis vocabulis, atque tenebris, ideam, nescio cujus rei terribilis, arctè conjungit. Quotiescumque ergo vocabula illa audit, aut

tenebras videt, excitatur in eo rei cujusdam terribilis idea, simulque timore concutitur, etiam vir factus.

¿ *Alius restat associationum error?*

Hic nempe: quod opinionibus, et praeceptis falsis, firmitatem concilient quaedam secundariae ideae, quales sunt ideae auctoris, aetatis, sapientiae, dignitatis, nationis &c. Sic antiquitùs fortassé pluris, quam par erat, Aristotelem habuerunt: inde ejus sententiae, licet falsae essent, prout veritates deffendebantur, quin aliquis eas in dubium vocare aussus fuerit.

¿ *Quarum rerum ideas ante alias consociare solemus?*

Rerum corporearum, cum earum ideae primae sint, quae nostris sensibus obversentur.

¿ *Quid ex hoc deducendum?*

Quod in vitae nostrae progressu ad normam harum primarum associationum caeteras efficere assuescimus: hinc Deo, et Angelis hominum ipsorum affectiones homines tribuunt, animamque habent tamquam corporeum materialeque objectum.

¿ *Quid circa ideas abstractas observandum?*

Quod facillimé iis abutitur.

¿ Quâ de caussâ ?

Primùm quia earum quaedam sunt adeó confusae, ut nihil in ipsis praeter vocabula intelligas, et passim pro rebus obtrudantur ab iis, qui meliora ignorant. V. g. Peripatetici ideam materiae abstractam absque formâ figurâque concipiebant, quam vocabant primam materiam: et licét nec existat, nec existere realitér possit materia talis, existere ipsam credebant.

¿ Estne alius idearum abstractarum abusus ?

Alter anteriori similis: nempe ideae istae separatim concipiuntur, et facilè credimus iis separata respondere objecta: ita facilè reperias, qui sibi persuadeant existere motum absque re, quae moveatur, generaque, et species realitatem habere.

¿Circa relativas ideas quid observandum?

Etiam ex his errores plures nâscuntur, dum aut relationes non percipiuntur, aut non rectè accipiuntur, aut dum ideae relationum omnium pro realibus ideis habentur.

¿ Velim ut haec clariùs explicares ?

Major pars vocabulorum, et idearum relativa sunt. Ita doctus, eruditus, perspicax,

malus, bonus, dives, magnus, parvus, et infinita alia, ex relatione dicuntur ad loca, tempora, personas, mores &c: sic qui in barbarie Europae dicebatur doctus, nunc esset ignarus, qui inter agrestes dives fuerit, inter cultos luxui mancipatos pauper audiret. Errat ergo qui ita ideas, et vocabula, non metiatur.

¿Quid nunc circa ideas adaequatas observas?

Quod arbitrariae, et abstractae sunt, hae enim ideae á nobis cogitatione sunt genitae, propterea tantum exhibent, quantum cogitamus.

¿ Quare aliae ideae sensatione, et ratiocinio, genitae adaequatae non sunt?

Quia referuntur ad objecta externa, quae ipsae plené non exhibent, cum nullum objectum sit reale, et in universo existens, quod plené cognoscere valeamus.

¿ Ex his anteactis observationibus quaenam regulae deduci possunt?

Ecce septem:

1. Ideae simplices, quas defferunt sensus, ne definiantur. Obscurarentur enim, et nullus esset definiendi finis, nec ullum certum, statutumque in controversiis fundamentum, ut Sextus Empiricus recté notat.

Definiantur autem ideae compositae, et abstractae, quantúm fieri acuratiús possit.

2. Ideae commentitiae, vel phantasticae diligentér perspiciantur, et ab ideis discernantur simplicibus, et adventitiis. Nec credendum phantasticis objecta semper extra nos respondere.

3. Cavendum ab ideis abstractis, et universalibus, et ex iis de rebus ipsis non judicandum.

4. Observandum utrum idearum associationes commentitiae sint, an naturales: et inter utrasque acuté est distinguendum.

5. Ex sistematibus phantasticis de rebus philosophandum non est, sed ex perpetuis experimentis, sensuque communi Sapientum.

6. Nullae ideae adeaquatae putandae a nobis sunt, nisi cum certi sumus nihil in re superesse, quod ignoremus: ex ideis veró inadaequatis temeré de rebus judicandum non est.

7. Conandum est ideas obscuras, confusas, inadaequatas, studio, experientiâ, meditatione, et usu, claras, distinctas, adaequatas efficere.

CAPUT QUARTUM

DE IDEARUM OBJECTIS.

¿Quae dicuntur idearum objecta?

Res illae, quae ab ideis repraesentantur: sic Sol ideae Solis objectum erit.

¿Quomodo dividuntur objecta?

Prima objectorum divisio generica est in existentia, et possibilia. Secunda in substantias, atributa substantialia, et accidentia. Tertia in caussas atque effectus.

¿Quid est substantia?

Est omnis res, quae in naturâ per se constat, et subsistit, ut homo.

¿Quotuplex est substantia?

Corporea, et incorporea. Prima extensa est, et solida &c. Secunda é conversó. Praeterea omnis substantia aut est aeterna, ut Deus, aut facta, ut Mundus, aut possibilis, ut alter Mundus.

* *¿Quomodo Aristoteles objecta idearum dividebat?*

In decem Cathegorias, sive res, quae de omni subjecto praedicari possint, ejus circunstantiis attentis.

¿ Ad quid inserviebant hujusmodi Cathegoriae ¿

Ad sophisticé disserendum, accipiendumque vocabula inutilia tanquam veram, et utilem scientiam. *

¿ Quid est attributum substantiale ?

Illud, quod pertinet ad essentiam, ut in corpore soliditas, intellectus in anima.

¿ Quid est accidens ?

Quod adesse, et abesse á re potest, salvâ ejus substantiâ, ut color, figura.

¿ Quotuplex est accidens ?

Duplex, aut qualitas, aut modus.

¿ Quid est qualitas, quid modus ?

Illud, quod essentiam determinat, sive limitat, ut esse hujus, vel aliùs figurae, qualitas vocatur.

Modus est, quod existentiam determinat, sivê limitat, ut essê in loco, et in tempore.

¿ Quid est caussa, quid effectus ?

Caussa est id, a quo aliquid gignitur, sive fit; effectus verò, quod a caussis progignitur.

¿ Scientia, quae haec omnia objecta idearum nostrarum considerat, quomodo nominatur ?

Philosophia.

¿ Quid est ergo Philosophia ?

Scientia, quae res omnes existentes, possibiles, aeternas, factas, earum attributa, modos, caussas, effectus, relationes, et usus, ratione investigat.

¿ Quas in partes Philosophia distribuitur?

In Rationalem, Naturalem et Moralem.

¿ Quid est Philosophia Rationalis ?

Ars benè cogitandi, et loquendi.

¿ Quot partes habet haec ars?

Logicam, quâ discernimus verum á falso, prout difinivimus in proemio, et Grammaticam, Prosodiam, Rethoricam, et Poeticam, quibus instruimur, ut benè loquamur.

¿ Homo, qui de scientiis velit bene mereri, has omnes artes discere debet ?

De Logicâ nemo dubitat. Nemo dubitare debet de caeteris, quae studia formant, quae litterae humaniores vocantur, quaeque Paedagogi discerpere, et restringere assolent, verae scientiae et Juvenum detrimento.

¿ Quid est Philosophia naturalis ?

Quae investigat naturas, proprietates, caussas, effectus, fines, et usus rerum omnium, quae sunt in naturâ.

¿Quomodò dividitur Philosophia naturalis?

In Metaphisicam, Phisicam, et Mathematicam.

¿Quibus de rebus agit Metaphisica?

De primis, et aeternis rerum caussis.

¿Et Phisica?

De caussis secundis, sive de Mundo visibili.

¿Et Mathematica?

De lineis, et numeris, omnique magnitudine abstractè consideratâ.

¿Quid est Philosophia moralis?

Illa, quae naturam hominis moralem considerat, atque regulas tradit, quibus homines honestè, et sapientèr vivere possint.

¿Quomodò dividitur moralis?

In generalem, quae theoriam et enarrationem juris naturae, divini positivi, canonici, et civilis complectitur, et particularem, quae de naturâ hominis, de affectibus, moribus, virtutibus, et vitiis disputat.

* *Hae, quas attulisti, Philosophiae divisiones totius sapientiae humanae partes complectuntur. Earum fines, studendi rationes, et vias scire desiderarem.*

Lubentèr his desideriis satisfacere sata-

gam. Illa enim omnia in juventute instruendâ, et regendâ, sunt maximè necessaria. *

CAPUT SEXTUM

DE STUDIO METAPHISICAE ET THEOLOGIAE.

¿ *Quid est Metaphisica?*

Disciplina, quae príncipia prima, et generalia statuit rerum omnium aeternarum, factarum, et possibilium, deque Deo, et spiritibus disputat.

¿ *Quot partes habet?*

Quatuor: Ontologiam, Cosmologiam, Pneumatologiam, Theologiamque naturalem.

¿ *Quid est Ontologia?*

Quae de ente in genere agit.

* ¿ *Qui Philosophi hanc prae caeteris coluerunt?*

Scholastici majori ingenii acumine quam judicio: non enim viderunt res nimis subtiles, minùsque propterea intelligibiles, et utiles, magnâque ex parte chimericas, non secus ac vinum, degustandas esse, non toto pectore hauriendas.

¿Quid est Cosmologia?

Metaphisicae pars, quae de Universo in genere tractat.

* *¿Qui de Ontologia et Cosmologia benè scripserunt?*

Cristianus Wolphius, Buddeus, Gravesandus, Genuensisque noster, qui de omnibus Methaphisicae partibus benè meruit.*

¿Quid est Pneumatologia?

Quae de spiritibus disputat.

¿Quot partes habet?

Psicologiam, et Daemonologiam, 1. de anima humana, 2. de bonis et malis Angelis tractat.

¿Quibus ex fontibus Psicologia derivatur?

Ex intimo nostrì sensu, animus enim noster nemini notior esse potest quam nobis. Ex observationibus etiam operationum aliorum hominum, quibus se prodest animus.

* *¿Quinam de Pneumatologia benè scripserunt?*

Ex Catholicis Hamellius, Purchotius, Le-Grand, Regis, Corsinus: ex Heterodoxis Claubergius Buddeus, Clericus, Wolphius: Plurima hâc de re, et optima

in Malebranchii, et Lokii libris sparsa reperias. *

¿ Qui Psicologiam student, a quibus scopulis cavere debent ?

A Fanatismo, et Materialismo.

¿ Quid est Fanatismus ?

Secta illa, in quâ nimiùm animae, et phantasiae tribuitur, et omnia, quae cognoscimus, ex ideis innatis, et unione cum Deo, in quo cuncta videamus, repetere non dubitatur.

¿ Quid est Materialismus ?

Secta illa, in quâ nulla admittitur incorporea substantia, animaque nostra tamquam corporis affectio habetur.

¿ Quid est Theologia naturalis ?

Ea Metaphisicae pars, in quâ ex ratione de Deo, de ipsius attributis, de Mundi origine, de Providentia, de naturali Religione, et capitibus ejus praecipuis disseritur.

* *¿ Quinam Scriptores de hâc disciplinâ benè meruerunt ?*

S. Tomas Aquinas Summae Theologicae 1. parte, et in libris contra gentes: Suarez in suâ Metaphisicâ: Cudworth in Sistemate intellectuali: Parcherus, et Clarkius

in disputationibus de Deo et Providentiâ, Buddeus, Niewentitius, Derhamus, Wolfius, qui hâc super re pluris faciendus est, et quicumque recentiores Atheos oppugnarunt, quorum pleraque opuscula in *Deffensione Religionis* Burnetius collegit. *

¿In hoc Theologiae studio quid cavendum?

Nec nimiùm rationi tribuendum est, nec nimiùm ratio negligenda. Qui nimiùm eam negligat, superstitiosus, qui nimiùm ei tribuat, impius evadet.

¿Homines affectibus agitati huic studio sunt apti?

Neutiquàm: tantae enim, et tam sublimi contemplationi sunt impares, et hâc disciplinâ ad libidinem, propositionesque suo genio conformes tuendas abuti solent.

¿Sunt alia Theologiae genera?

Traditionaria, et revelata.

¿Quid est Theologia traditionaria?

Illa, quae consulit quid diversae per orbem nationes, quum veteres, tum recentiores, de Deo senserint, nuncque sentiant.

¿Traditionaria Theologia in se non includit Apostolicas traditiones?

Ne id quidem: quia illae cum nihil

sint aliud quàm verbum Dei non scriptum, sed de ore in os transmissum, ad revelatam Theologiam pertinent.

* ¿ *Quinam sunt optimi da hâc Theologiâ libri?*

Theologia Gentilium Gerardi Vossii, Demonstratio evangelica Huetii, Burnetii Archaeologia, Tomae Hydae Persarum veterum religio, et Gasparis Calvorii singulare volumen, quo veteres, recentesque Religiones luculentissimè enarravit. *

¿ *Quae cautiones adhibendae sunt in eorum librorum lectione, qui Religionum Historiam tradunt?*

Non facilè credendae sunt relationes Historicorum Religionum exterarum.

¿ *Undè manant errores et hallusinaciones ejusmodi Historicorum?*

Quatuor ex caussis: 1. quia cum natione illa diuturnam familiaritatem non habuerunt: 2. quia non á peritis, sed á Populo Religionem illam didiscerunt: 3. quia de illâ ex propriae religionis notionibus judicarunt: 4. quià odio, aut affectu alio, permoti erant.

¿ *Quid est Theologia revelata?*

Quae ducitur ex libris sacris ab Spiritu

Sancto inspiratis, et ex Apostolicis traditionibus.

* *¿Quinam characteres sunt, quos studio revelatae Theologiae Sapientes tribuunt?*

Longum esse dicunt, difficile, periculosum.

¿Quare longum?

Quia Theologus esse opportet peritus Scripturarum sacrarum, Ecclesiasticae Historiae, Conciliorum, et Patrum doctrinae, Philosophiae, Criticae, Orientalium linguarum, et vel profanae Historiae: ex iis enim omnibus fontibus ad revelationem interpretandam, confirmandam, adversus impiosque deffendendam utilitatis plurimum haurit.

¿Quare ajebas esse studium difficile?

Quia de rebus, quae captum nostrum superant, pertractare ita debet, ut nec in Atheismum, nec in Superstitionem proruat: qui sunt duo scopuli á Theologis semper cavendi.

¿Quare est periculosum?

Quia qui in aliis erret disciplinis opinionem deperdet: qui verò in Theologiâ animam.

¿Quinam libri Theologo necesarii et utiles?

Textus Sacrarum Scripturarum, earum-

que concordantiae, selectiores Commentatores, Historici, et Critici, majorum Theologorum opera, opusculaque de singularibus rebus selecta. Demùm institutiones ad usum Tironum, et Scholarum.

¿Quibus ab Auctoribus potest Juvenis notitiam sibi asumere de libris in quolibet genere selectioribus?

A Mabilonio de Studiis Monasticis, á Dupino de Studio Theologico, á Buddeo in Isagoge, et á Bernardo Lamy in Coloquiis super scientiis, ubi selectam rerum Theologicarum Bibliothecam invenient.

¿Tironibus autem quinam libri sunt praescribendi?

Apparatus Biblicus Bernardi Lamy, opera de locis Theologicis Melchioris Cani, Jacobi Tirini Commentarium in Scripturas, Gullielmi Estii Commentarium in Sententiarum Magistrum, Catechismus Latinus Colberti, quod opus institutionis loco esse potest. * (1)

(1)* Addant Tirones Theologiam Genuensis Christianam, quâ sub exiguo volumine S. Theologiae selectiora invenient. Provecti Petavio vacent. Hi duo auctores sapientissimum Theologum efficere queunt. *

CAPUT SEXTUM

DE STUDIO PHISICAE, ET MATEMATICAE.

¿Quot sunt Phisicae partes?

Tres: Historica, Theorica, et Practica.

¿Quid est Phisica Historica?

Observationum collectio circa naturalia phoenomena confectarum, et experimentorum in rebus sensibilibus et naturalibus.

* *¿Quinam sunt selectiores de Historiâ Phisicâ libri?*

Itineraria Turnefortii, aliorumque: experimenta naturalia Boilaei et Redii: monumenta Academiae Scientiarum Parisiensis, et Londinensis &c. *

¿Progredi valemus in Phisicâ absque naturalì Historiâ?

Progredi non posse et doctissimè Vetulamius comprobat, et á nemine in dubium nunc revocâtur. Hînc Scholasticorum Phisica jacuit per plura soecula infrugifera: hînc recentiores Phisici Gravesandius, Muschembroeckius Keilius, Desagulierius, Turrius, et Wolffius elementa Phisicae ita describunt, ut observationibus, experimentisque statutis, ad naturae rerum investigationem gradiantur.

¿ Quid est Phisica Theorica ?

Illa est, in quâ ex Phisicâ Historicâ Theorias sumimus ad primas, et secundarias corporum proprietates, leges, motus, primaque naturalium rerum principia explicanda.

Quid est Phisica Practica ?

Illa, quae in usum vitae deducitur, quaeque artibus constát vitae humanae inservientibus: talis est Mechanica, Agricultura, Nautica, Medicina, &c.

¿ Quid est Matematica ?

Scientia quantitatis.

Quot sunt Matematicae partes?

Tres, Geometria: Aritmerica, et Algebra.

¿ Quid est Geometria ?

Quae quantitates continuas considerat, ut lineas, &c.

¿ Quid est Aritmetica ?

Quae discretam quantitatem, sive numeros perspicit.

¿ Quid est Algebra ?

Ars quaedam Matematicae generalis, quâ breviús, et faciliùs problemata solvi queant.

¿ Quinam sunt Matematicae usus utilitas quaenam ?

Tres potissimùm: 1. mentem ad rectè ratiocinandum capaciorem efficit, atque aptiorem. Quotidiana experientia nos docet, homines lectioni plurimae, et meditationi assuefactos, sed Matematicae ignaros, obtusos, et confusos restare, dum alii, qui matesi vacarunt, perspicacissimi sunt, et lucidissimi.

¿ Qodnam est Platonis effatum de illis, qui Matematicas ignorabant?

Homines istos vix esse rationales censebat.

Secundum Matesis usum expende.

Inservit ad Theoremata phisica, statica, hidrostatica, nautica, optica, dioptrica, catoptrica, astronomica, geographica, et caetera demonstranda.

¿ Quinam est tertius usus?

Artes promovet mechanicas vitae utiles. Ex eâ exortae sunt ars perspicillorum, et horologiorum, Nautica, Arquitectonica, Agrimensoria, Balistica, Hidraulica &c.

¿ Iis, qaibus ob vitae brevitatem, et ob amplum scientiarum studium florentiore vitae parte longo matematicae studio vacare non possunt, quasnam ejus partes praecipuè colere debent?

Geometriam, atque Mechânicam: quia Geometria est, Galileo ajente, quasi idioma unicum, quo scriptus est magnus Naturae liber, et Mechanica docet homines labores suos leviores reddere in terrae culturâ, maris trajectione, perfectioneque rerum manu factarum.

* *¿ Quos libros juvenes Matematicae studiosi consulere debent?*

Meo judicio elementa Tacqueti, et alia similia, ut deinde ad sublimiora ducantur. De studio Mateseos copiosè scribit Cristianus Wolfius, tom. 5. Elementorum Matematicorum.*

CAPUT SEPTIMUM

DE ETHICAE STUDIO.

¿ Antiqui Philosophi totius Philosophiae studium cui comparabant?

Campo, ubi Logica sepes, Phisica plantae, Ethica fructus. Hînc videas nulla esse philosophica studia ethicis aut magis necessaria, aut utilia, aut jucunda.

¿ Quis rectè Ethicae studium instituet?

Qui Phisicae, Metaphisicae, et Historiae humanae notitias praemittat.

¿ Quare Phisicae, et Metaphisicae notiones praemittendae?

Quia ex iis et Deum scimus, et Universum á Deo creatum, summaque ratione, et Providentia rectum: nihil adversus illius voluntatem faciendum: nihil adversus ordinem Universi, adversusvè vitam, et societatem hominum moliendum: primae caussae rationales creaturas debere et obsequium, et servitutem, et preces, id est, veram, puramque Religionem.

¿ Quare Ethicae Historiae humanae studium est praemitendum?

Ut ex sensu communi noscamus, quaenam naturâ vetentur, aut precipiantur: impossibile enim est ut haec in tantâ hominum multitudine, et varietate, sese non prodant. Ut observemus etiam naturae humanae inclinationes, ex quibus regulae confici possint, quum moribus conformandis, tum Rerumpublicarum formis legibus constituendis. Ut demùm intelligamus variarum societatum modum, legum civilium et originem, et progressus.

¿ In quibus Ethicae studium versari debet?

In studio juris naturae, juris gentium, juris divini, juris canonici, juris civilis, et naturae humanae.

¿ Quaenam sunt juris naturae objecta?

Deus, nosmetipsi, et alii homines.

¿ Pars illa Ethicae, quae hominis erga Deum officia explicat, quomodo nominatur?

Theologia practica.

¿ Et illa, quae officia explicat hominis adversus se ipsum?

Theologia monastica.

¿ Et ea, quae officia explicat adversus alios?

Politica.

* *¿ Quinam sunt selectiores libri in horum officiorum studio á Tironibus exquirendi?*

Ludovici Antonii Muratori *Philosophia moralis*: Gregorii Simonis *Tratactus de Religione*: Godeau *Ethica Christiana*: et quando per Ecclesiam liceat Puffendorfii libri *de officio hominis, et civis.*

¿ Quosnam libri provecti exquirent?

Quando accedat Ecclesiae venia Grotius adeundus *de jure belli et pacis*: Seldenus *de jure naturae, et gentium juxta disciplinam Hebraeorum*: Puffendorfius *de jure*

naturae et gentium : Wolfius *elementa juris naturae, et gentium , methodo scientifica pertractata.*

¿ Quaenam cautiones adhibendae sunt horum librorum lectione ?

Perspectè legenda in iis plurima, praessertim quae de juribus summorum imperantium in Ecclesiam tradunt : circa haec enim plura falsa , petulantèr, et audentèr juxta sectarum suarum praejucicia Auctores scribunt. Hâc de caussâ eorum lectio á legitimis Potestatibus jure , meritoque interdicta. *

¿ Quid est jus gentium ?

Illud , quod inter plures populos, aut Reges, naturali honestate , diuturnâ consuetudine, et pactionibus, foederibusque invaluit.

¿ Undè haurire possumus notitias harum consuetudinum , et pactionum ?

Ab historiâ politicâ.

* *¿ Quinam libri iis juvant, qui politicam, seu scientiam regiminis populorum discere ament ?*

Menochii, et Bossuetii politica ex sacris litteris hausta. Russeti *Interests des puissances , L' Esprit des Loix de Montesquieu* , qui liber, licet omnia sistemata politica longè post

se relinquat, plura continet, quibus auctor suscepto semel sistemati, et Nationis ingenio plus aequo indulgeat, legendus tamen utilitèr, si per Ecclesiam liceat. Adde ex antiquis octo politicorum libros Aristotelis, Xenophontis, et Platonis Respublicas, pluraque Plutarchi libris sparsa. *

¿ Accedit forsan politicae comercii ars?

Accedit, et ars est suis regulis, non minùs quàm aliae, constans.

* *¿ Quinam libri huic arti intelligendae apti sunt?*

Tirones uti possunt *specimine politico commercii* Meloni, *considerationibus* Dutot, et libri Genuensis nostri de Commercio. Provectiores autem plures Britannos, Belgas, Gallos, Hispanos scriptores invenient. *

¿ Undè haurienda Jurisprudentia Divina?

Ex sacrarum Scripturarum lectione, praesertim ex testamento novo, quo vitae christianae regula continetur.

* *¿ Quibusnam libris utetur Tiro, qui Scripturarum lectioni vacare á principio nolit?*

A Catechismo Romano incipiat, omnibus certè Theologorum sistematibus prae-

ferendo. *Catechismum latinum* Colberti addas, si velis. Secundam Secundae partis Summae D. Thomae auro cariorem habeat.

¿Quaenam alia lectio Provectioribus praecipienda?

Sanctorum Patrum Sermones : inde enim Christiana Ethica puriùs, quam ex rivulis ducitur. Morali Christiana Floriotii utantur, quâ ex Scripturis, et Patrum doctrinâ Ethica est derivata. *

¿Quid est Jus Canonicum?

Quod ritibus. canonibus, rebusque ad disciplinam Ecclesiae pertinentibus absolvitur.

¿Quibus juris hujus studiosus instituendus est?

Historiâ Ecclesiasticâ, Conciliis, Operibus Sanctorum Patrum, saltem veterum, et praecipuorum, et iis, quae Romanorum Pontificum extant.

* *¿Qui libri consulendi sunt?*

Cavasutius, Lancelottus, Mascat, Bartolus, et Fleurius. Majora Canonistarum opera. Qui plura hâc super re aveat, Van-Espenium consulat. Interim monemus notandos esse varios temporum, locorumque ritus, usus Ecclesiarum peculiarium, Ca-

nones, Disciplinae mutationes, et id genus alia, quae opera Bingami et Marteni docebunt (2) *

¿ Quid est Jus Civile?

Quod non totius generis humani, sed uniûs tantùm Reipublicae, Regni, aut Civitatis est proprium.

¿ In majori Europae parte Jus Civile, quibus est coagmentatum?

Legibus, et consuetudinibus partim Romanis, et partim propriis. Hînc utrumque studium, et jurisRomani, et proprii jungendum est.

¿ Quaenam studia Jurisconsultis sunt necessaria?

Scientia juris naturae et gentium: Historia Romani Imperii, et ejus antiquitatum: Historia propria Reipublicae, et ejus

---

(2) * Institutiones Cavalarii Lancelottii institutionibus praestant, uberioresque ex iis fructus Tirones sunt collecturi. Provecti verò nocturnâ, diurnâque manu versent Caroli Sebastiani Berardi dissertationes, Tomasini veterem et novam Ecclesiae disciplinam, Selvagiique Christianas antiquitates. *

legum : sciencia Theologiae , jurisque Canonici, ut sciat, quâ ratione Sacerdotium, et Imperium sint concilianda, ut alterius jura non laedat, dum alterius aequo justius promoveat: Critica, quando quidem esse debet legum interpres: aliarum Republicarum, et Regnorum leges, quibus facilè aequitas dignosci possit: Oratoria, quippe Orator futurus est. (3)

¿Quid est naturae humanae studium?

Cognitio constitutionis hominis phisicae, atque moralis.

---

(3) * Juris Civilis Pusionibus Vinii libri super Instituta sunt consulendi, qui licet non tam concinni, quá par erat, praecipua, quae ad Romanarum legum intepretationem faciunt, complectuntur. Consulenda prae Vinnio Heineccii, et Gravinae opera, quae qui ignoret ad Jurisprudentiae apicem numquam pertinget. Romanas verò Antiquitates ex Heineccio discent, discent ex Historiâ revolutionum Romanae Reipublicae, quam Bertot scripsit, et ex Ciceronis vita á Middletone conscriptâ, et ab Azara in hispanum sermonem versâ. Hispanarum legum institutiones, quales Tironibus debentur, adhuc desideramus. *

¿Cui inservit phisicae constitutionis cognitio?

Ad varietatem temperamentorum, et propensionum sciendam, sivè hominem phisicum cognoscendum, quo ignoto, hominem moralem nemo cognoscat.

¿Ad quid haec hominis moralis cognitio?

Ad varietatem passionum praevalentium, morum, virtutum, et vitiorum noscendam.

* *¿His studiis qui libri juvant?*

Cicero *de officiis*: Cartesius *de affectibus*: Claramontius *de conjectandis animi moribus*: La Chambre, et La Bruyere *Characteres de affectibus*: Tuldenus, et Lamy *de cognitione sûi*: Nicolius *specimina moralia*, et alii, quos provecti facilè discent.

¿Quod studium prae caeteris juvat ad hominis cognitionem?

Studium Historiae.

CAPUT OCTAVUM

DE NATURA VOCABULORUM IN GENERE.

¿Quâ de caussâ Logicus de vocabulis tractare debet?

Ut aliorum intelligat cogitationes, suasque communicet, cum id fiat ope vocabulorum.

¿ Quisnam est vocabulorum origo?

Inter alias probabilior sententia visa est mihi illa, quâ docetur Deum dedisse homini falcutatem inveniendorum vocabulorum, quibus animi conceptus posset exprimere.

¿ Quomodo id probas?

Quia vocabula sunt omninò arbitraria: quae ita non essent, si non ab hominum placitu, sed ab alia immutabili caussâ orirentur.

¿ Ex eo, quod vocabula sint arbitraria, aliquae usui utiles regulae deducci possunt?

Quatuor, quarum prima esto: vocabula explicanda non esse secundum rei significatae naturam, sed secundum notionem loquentis, vel scribentis, vel gentis, et sectae sui temporis, undè illa accepit.

Profer exemplum.

Duo sint, Christianus alter, alter Spinozista, qui Deum credere profitentur. Non idem credunt. Spinozista Mundum ipsum Deum credit: Christianus caussam primam creatricem, et conservatricem Mundi, ab ipsoque Mundo diversam.

¿Quid vis, hoc exemplo conficere?

Vocabula notiones tantùm significare, quas habet ille, qui iis utitur, ac propterea ex his esse notionibus explicanda.

¿Quaenam est secunda regula?

Iisdem vocabulis alterum ampliorem notionem affigere, alterum minùs amplam, prout est cujusque mentis capacitas.

Cedo mihi exemplum.

Et doctus, et indoctus hoc vocabulo *Deus* utuntur ad Mundi Opificem explicandum: sed cum non aequè omnes de Deo cogitent, sed alii aliis perfectiùs, illi vocabulo non eamdem notionem doctus, atque indoctus est tributurus.

¿Quid ex his deducere intendis?

Quod dum quemque hominem loqui audiam, ejusve librum legam, ipsius vocabula non secundum meas notiones, sed secundum loquentis, vel scribentis interpretabor.

Ad tertiam regulam procede.

Eâ praecipitur non tribuere antiquis vocabulis easdem notiones quàm novis.

¿Quare?

Quia apud omnes populos vocabula cogitationibus sunt antiquiora.

¿Qua de caussa?

Quia posteriores pleniùs quam vetusti homines super iisdem rebus philosophati sunt, et inde factum quod sequentes aetates priorum vocabulis notiones ampliores, diversasve colligaverint.

Rem exemplis illustra.

Hoc vocabulum *Astronomia* est vetusissimum; ast sub eo ampliores notiones Recentiores comprehendunt, qui Astrorum scientiam longiùs provexerunt, quam Veteres.

¿Quaenam sunt Vulgi circa vocabula praejudicia?

Duo: supponit primò quod qui audiunt, aut legunt, easdem ideas affigant vocabulis, quas ipse affigit: secundò vocabula non tam ideas, quàm ipsas reales essentias significare.

Demonstra praejudicium esse primam suppositionem.

Est: vix duos reperies, qui de eâdem re easdem habeant notiones.

Demonstra etiam secundam suppositionem praejudicium esse.

Quia vocabula exprimere non possunt rerum essentias, quae hominibus omnibus sunt ignotae.

¿Quodnam ex his praejudiciis vitatu est difficilius?

Secundum, consuetudine quippè ipsâ vitae ab infantiâ usque est confirmatum.

¿Inter Philosophos quinam sunt huic praejudicio plus mancipati, Veteres, an Recentiores?

Veteres, qui dicentes v. g. hominem esse animal rationale, aut Angelos esse spiritus, naturam hominis, aut Angeli, explicasse credebant.

CAPUT NONUM.

DE VOCABULIS IDEARUM SIMPLICIUM, ET COMPOSITARUM.

¿Quodnam discrimen est inter vocabula idearum simplicium, et compositarum?

Quod prima, ut plurimùm, sint clarissima, secunda confusa.

¿Quâ de caussâ?

Quia primae exhibent ideas simplices, quae, ut plurimûm, clarae sunt; secunda verò compositas exhibent ideas, quae, ut plurimùm, obscurae sunt, et confusae.

¿Quid ex his Logici ducunt?

Faciliùs nos decipi interpretatione vocabulorum idearum compositarum, quàm interpretatione eorum, quae ideas simplices exhibent.

¿Quam ergo hâc super re statuis regulam?

Hanc: vocabula idearum compositarum accuratè sunt definienda ab eo, qui intelligi velit.

¿Vocabula simplicium idearum, quae sensationes spectant, sunt distincta, an confusa?

Clara sunt, sed confusa: quia ad impressiones, quas sentimus, referri possunt, vel ad qualitates objectorum externorum undè proveniunt. Utroque in sensu haec vocabula clara sunt, sed confusa.

Confice talia esse haec vocabula utroque sensu accepta.

Quoad primum: hominum corpora non sunt in omnibus hominibus eadem. Cum autem objecta externa diversas impressiones in corporibus faciant pro illorum diversitate, consequitur has impressiones esse non posse in omnibus aequè intensas. Dum ergo quisque vocabulis impressionem, quam experitur, exprimat, de illarum naturâ, qui au-

dit, non dubitat; ast dubitare debet de ipsarum gradibus, sive notis.

Quoad secundum: quia á magnitudine impressionum judicare non possumus de magnitudine qualitatum corporum sensibilium: cum haec plurimum pendeat á corporis nostri temperie. Sic hae voces sonus acutus, fragrans odor, &c. exprimunt quidem in genere impressionum qualitatem; ast exprimere nequeunt gradum acuminis, et fragrantiae.

¿ Vocabula idearum simplicium, quae ad dolores, et voluptates spectant, suntne clara?

Utique: cum enim quis dolores sensisse dicat, aut voluptate esse fruitum, in genere intelligo quid ipse senserit, aut fuerit fruitus.

¿ Suntne distincta?

Non sunt: quia ex ejus vocibus intelligere nequeo quantum dolorem senserit, quantamve voluptatem fruitus fuerit.

¿ Quomodo haec confusio in dolorum vocibus ex parte minuetur?

Si ad examen vocamus 1. corporis dolentis temperiem: 2. animum rebus adversis magis, minusve obfirmatum: 3. praesen-

tem statum, dum dolore quis est invasus: 4. doloris caussas, magnitudinem, et circunstantias: 5. effectus, qui dolorem sunt consequuti.

¿ Et quomodo vocum, quae voluptatem exprimunt, confusio ex parte minuetur?

Si ad examen vocamus 1. boni assequuti magnitudinem: 2. expectationem: 3. repentinam possesionem: 4. usum voluptatis: 5. effectus.

¿ His datis dolores, aut voluptates, exactè metientur?

Minimè, quia vel ipsa confusa sunt.

¿ Vocabula perceptiones exprimentia sunt clara, et confusa, ut praecedentia?

Utiquè: quiâ dum aliquis rem percepisse dicat, objectum, quod perceperit, intelligo; ast nesciam definire exactè quanta celeritate, et claritate, perceperit.

¿ Idem judicium de vocabulis voluntatis erit faciendum?

Erit: quia dum quis velle aliquod proferat, quid velit scio, quantâ verò libertate velit, quantâ efficaciâ nescio:

¿ Quaenam ergo vocabula erunt clara, et distincta?

Vocabula idearum simplicium, quae

exactis calculis metiri valeant, qualia sunt rerum Aritmeticarum, et Geometricarum. Nulla enim esse potest confusio, et obscuritas in ideis quantitatum numericarum, linearum, superficierum &c. Sic cum dicam bis duo sunt quatuor, nemo est, qui non clarè, et distinctè intelligat.

¿Quid ex his consequetur?

Quod Aritmetica, et Geometria exactarum demonstrationum capaces sunt, et scientiam producunt, quae scrupulis, et anxietatibus non subjiciantur, quod non semper in aliis disciplinis eveniet.

¿Vocabula idearum compositarum quando erunt clara, et distincta?

Quando clarae, et distinctae sint ideae, ex quibus constant, et quando hae simplices tot non sint, ut numero, et copiâ confusionem parere queant,

CAPUT DECIMUM.

DE VOCABULIS SUBSTANTIARUM, ATQUE MODORUM.

¿Quid est substantia?

Primum subjectum ejus, quod est, aut

fit, quasi fundamentum, et fulcrum aliquod, quodque per se subsistit, ut homo, planta.

¿ Quid sunt substantiarum essentiae reales, quid nominales ?

Nominales sunt genericae, et abtractae ideae quibusdam nominibus colligatae, quae substantiae ideam repraesentant. Sic vocabulo *Aurum* ideam attribuimus complexam ex ideis metallis coloris flavi, maximae gravitatis, malleabilitatis &c.

Reales essentiae sunt internae substantiae constitutiones.

¿ His positis vocabula substantiarum suntne clara, et distincta ?

Si ad essentias nominales referuntur, haeque exactè definiantur, clara sunt, et distincta; ast si referantur ad essentias reales, sunt obscura, et confusa, quia tales essentiae nobis ignotae sunt, cum ignota sit rerum intima constitutio.

¿ Quomodo ergo intelligenda veniunt substantiarum vocabula, quae in scriptoribus reperiantur ?

Examinandum est quot, et quas colligaverint ideas sub notione genericâ substantiae illo vocabulo, quo utuntur, significatae.

¿ Ab essentiae realis ignorantiâ errores fortè proveniunt ?

Haec ignorantia facilitati conjuncta, quâ ex nominalibus ad reales essentias transimus, plurimos errores progignit.

Praecipuos recenseas.

1. Ignotis subjectis qualitates fictas tribuere. Sic gentiles Deo plures imperfectiones tribuerant, vocabulum *Deus* substantiam nobis obscuram explicans perperam intelligentes. 2. Eidem substantiae tribuere diversarum substantiarum qualitates. Sic ipsi gentiles bona, et mala videntes, et bonum, et malum Deum admittunt, non intelligentes Dei naturam, et quomodo ab uno, eodemque Deo bona, et mala, quae dicimus, derivarent. 3. Unius sujecti qualitates pluribus attribuere. Sic fuere quidam, qui cum non possent intelligere ab eâdem mente corpus vivum fieri, et moveri, duas substantias animales in homine statuerunt, mentem, principium cogitationum, et animam, vitae, atque motionum principium.

¿ Vocabula accidentium quid explicare possunt ?

Aut accidentia simplicia, aut composi-

ta, aut abstracta, aut concreta, aut phisica, aut moralia.

¿ Quae sunt vocabula accidentium simplicium, quae compositorum ?

Prima sunt, quae unum tantùm accidens explicant, ut figuram. Secunda quae plura accidentia simul complectuntur, ut amorem, misericordiam.

¿ Quid significant vocabula accidentium abstractorum, quid concretorum ?

Abstracta sunt, quae significant ideam genericam alicujus accidentis abstractam, et separatam á subjecto reali, et ab aliis accidentibus. Talia sunt nomina substantiva appellativa, ut figura, circulus, motus &c. Concreta sunt, quae explicant accidentia, prout sunt in ipsis substantiis. Talia sunt nomina adjectiva, ut figuratum, motum.

¿ Vocabula accidentium simplicium tam abstracta, quàm concreta, sunt confusa ?

Clara sunt: in concretis tantùmmodo confusio aliqua potest irrepere, si de eorum intensitate judicium fuerit ferendum.

¿ Accidentium compositorum vocabula suntnè clara, et distincta ?

Obscura, et confusa sunt: sic v. g. amo-

rem vix definire ita possis, ut definitio unica affectibus omnibus, qui amoris nomine insigniuntur, conveniat.

¿ *Quare* ?

Quia varius est pro rerum, quae amentur, varietate: sic alius est amor maris in foeminam, alius amici in amicum, alius parentis in filium, alius ambitiosi in dominium, avari in pecuniam alius. Hi amores varios effectus producunt. Sic si legas, aut audias, vocabulum *amor*, qualis amor sit, et quos effectus producat, certè non capies.

¿ *Quid sunt accidentia phisica* ?

Quae considerantur in substantiis aut corporeis, aut incorporeis.

¿ *Quid sunt accidentia moralia* ?

Sunt judicia, aut opiniones, aut relationes, quae substantias intelligentes, aut actiones consequuntur. Talis est malitia, justitia, turpitudo actionum.

¿ *Ut haec vocabula rectè interpretentur, quid requiritur* ?

Peritia summa justi, et injusti, et legum, morum, opinionumque scriptoris, et nationis, ex quâ scriptor est, vél de cujus rebus pertractat. Non eadem ubique ho-

nesta, aut turpia, justa, aut injusta fuere. Sic apud Hebraeos licebat foenerari extraneis, quod non licet Christianis. Sic Persae sorores conjugio ducebant, quod Graecis, et Christianis incestuosum erat, et est.

¿ *Allatam regulam servantibus distincta erunt accidentium moralium vocabula?*

Ille, qui eam servet, magnâ ex parte confusionem vitabit: attamen non omnimodò, quia eaedem actiones variae sunt pro subjectorum, objectorum, circunstantiarum, et intensitatum varietate, quae numquam exactè metiri queunt. Sic eadem actio non eâdem laude, aut vituperio afficienda á viro, á puero, á foemina, á sene, á docto, ab ignaro, á nobili, á plebejo, ab homine scelesto, et viro probo confecta: en varietatem pro subjectorum ratione. Aliud est auxiliari parentibus, patriae, amico, aut injuriam inferre, quàm extraneis, aut inimicis auxiliari, aut ferre injuriam: en objectorum varietatem. Aliud est solus scelus aliquod perpetrare, et aliud alios in idem scelus inducere: en varietatem circunstantiarum. Tolerantur adversa, sed fortiùs, aut minùs fortitèr: en varietatem intensitatum.

* ¿ *Hoc vocabulum Religio cujus generis accidens repraesentat?*

Compositum, et morale.

¿*Juxta Christianum Philosophum quaenam vocabulum hocce complectitur?*

Justam Dei notionem, amorem, timorem, obsequium, existimationem, invocationem in adversis, gratiarum actionem in prosperis, et harum actionum coram aliis textificationem externam, et humilem.

¿ *Et juxta Gentiles?*

Multò minora, minusque nobilia significat, cum religionem totam illi in externis actibus magnâ ex parte deridiculis, obscoenisque collocarent, et deorum pluralitatem admitterent.

¿ *Quid ex his deducendum?*

Quod quando in scriptoribus virum aliquem religiosissimum fuisse legatur, ut quid hoc vocabulo sigificetur possit intelligi, de quo, apud quos, quâ occassione dicatur, est perpendendum. *

CAPUT UNDECIMUM

DE VOCABULIS RELATIVIS.

¿ Quid est vocabulum relativum ?

Quod res significat, quae augeri possunt, et minui, esse majores, aut minores.

Vocabula relativa recense.

Vocabula accidentis corporei, sensationum, virtutis, et vitii, habituum, actionum per nomina, vel verba, expressarum.

Confice haec omnia vocabula esse relativa.

Quoad vocabula accidentium corporeorum: vires corporum, quae in nobis excitant determinatas sensationes, vel sensationes ipsae ab iis productae viribus, gradus admittunt intensitatis, et remissionis, quia illae vires majores, et minores esse queunt, et sensationes variare pro personarum diversitate. Sic res aliqua calida majorem vim, vel minorem, calefaciendi habere potest, et uni multum, alii homini parum calida videri.

Gradus etiam habent virtutes, et vitia, et variant pro locorum, et temporum diversitate, quod ultimum in Deista videtur,

cui fortis homo suicida dicitur, cum sit desperatus.

Etiam gradus admittunt qualitates animi, et habitus, et variae apparent pro temporis, loci, et Personae, quae qualitatem illam observat, diversitate. Videsis hoc in homine, qui dicatur v. g. Astronomus peritissimus. Hâc voce gradus peritiaè signari non possunt: et qui uno loco, tempore, et his hominibus peritissimus erat, mediocris erit Astronomus aliis personis, aliis locis, sive temporibus.

Nomina actiones exprimentia gradus habent: sic *velox*, *tardus*, hae voces, intelligi nequeunt, nisi relatione ad spatium, et tempus.

Idem dicas de verbis, quae actiones promunt, quae majorem, aut minorem intensitatem significabunt, quam intelligere nequibimus, nisi variis circumstantiis inspectis. Sic *caedere* actionem corporis aliud percutientis significat, sed actionis intensitatem non capiam, ni aciem convertam ad qualitatem instrumenti, quo caedens est usus, ad vim applicatam, ad varias caesi affectiones.

¿ Actiones verborum adverbiis exactè non explicantur ?

Explicantur, et aliquos gradus intensitatis exprimunt, sed non exactè, quia et adverbia vocabula sunt relativa, circunstantiarum examine explicanda.

¿Quid ex allatis deducendum est?

Quod judicia circa relativa objecta nequeant esse geometricè exacta, ac indè quod de iis nimis contentiosi esse non debeamus.

Praeterea deducam relativa vocabula non esse ex nostris ideis interpretanda, ut, quoad fieri possit, gradus intensitatis perspiciamus; sed ex relatione ad res ipsas significatas quoad tempus, et locum, ex relatione ad alias res ejusdem, vel diversi generis, et demùm ex relatione ad Personas.

CAPUT DUODECIMUM.

DE VOCABULIS NOTIONUM ABSTRACTARUM.

¿Vocabula abstracta sunt necessaria?

Tam necessaria sunt ut ideae abstractae.

¿Quâ de caussâ hae ideae sunt necessariae?

Quia, iis non stantibus, opporteret nos singularum rerum individuarum proprieta-

tes, et notas, in numerato habere, ut singularum distinctas ideas habere possemus. Nulla autem mens humana tam perspicax esse potest, ut tantas, et diversas ideas distinctè cudere possit.

¿ Quid ex his consequetur ?

Quod sicut ideae abstractae, et genericae, compendium faciunt cogitandi, ita abstracta vocabula, et generica, compendium loquendi faciunt.

¿Quomodò abstractae, et genericae ideae, ac indè vocabula abstracta, efformantur ?

Reflexione super illud, quod commune est pluribus singularibus ideis, abstrahendo á peculiaribus omnibus circunstantiis.

Exemplo rem reddas clariorem.

Infans v. g. vocabulo *Mater* ideam jungit foeminae illius, cujus lac sugit. Si secunda foemina lac praestet, infans in eâ id tantùm animadvertit, quod simile est priori foeminae: qualitatibus enim, et notis individualibus discernendis non dum est aptus. Eamdem ergo matris ideam huic secundae foeminae extendit. Idem cum tertiâ accidet. Ita infanti huicce idea, et vocabulum matris tribus individuis evadunt communia, id est, generalia.

¿Quid circa abstracta vocabula observandum?

Quod iis non significatur nisi nexus, seu complexus quidam idearum abstractarum, et genericarum, qui varii sunt pro mentium, libertatisque cogitandi varietate.

¿Vocabulis abstractis respondent objecta realia, et extra nos existentia?

Minimè: quia natura individua tantùm producit, v. g. talem et talem arborem; ast arborem in genere non producit.

¿Potest Logicus absque errandi timore rerum individuarum naturam ex ideis abstractis deducere?

Non potest: quia id esset ideas abstractas, et ab eo confictas, pro rebus ipsis assumere, quod absurdum.

¿Quaenam aetas foecundior vocabulorum abstractorum, et eorum abusûs?

Aetas scholasticorum, quia experimenta, et analisim negligebant, et in meditatione, et idearum abstractione erant toti. Has ideales theorias reali Mundo applicantes effecere quod Mundus ipse conceptus esset hominum, et non illud opus, quod á Deo fuit factum.

His stantibus idem est Matematicorum vitium.

Falleris : Matematici enim ideali Mundo se versari fatentur : Scholastici autem se in ideali versantes, esse in reali credebant.

¿ Verum non est Matematicos falli quid ad realem Mundum abstractas theorias accommodare velint ?

Verum. Plato ipse Matematicae amator Architam arguebat, quòd foedasset Geometriam, dum illa ad corpora traducebat.

¿ Ergo traducendae Matematicae ad corpora, eorumque vires non erunt ?

Etiam nunc falleris : imò numquam absque Matematicis Naturam intelliges. Id tantùm cavendum nè abstracta concretis respondere adamusim credamus.

¿ Quinam alii in eumdem scopulum ac Scholastici inciderunt ?

Ethices Magistri : plurimi enim non hominem, qui lue originali infectus nascitur, sed abstractum alium, nescio quem, contemplantes, morum regulas statuerunt, quae telluris hominibus non conveniant. Alii hominem extare posse volebant, in quo nulla animi caderet perturbatio.

¿ Politici etiam hâc in re defecerunt?

Nempè : plurimi leges condere voluerunt, quibus regi civitates non valeant, nisi quae abstractionibus propriis suis sincipitibus condiderunt.

¿ *Et Theologi* ?

Errant ii omnes, qui ex analogiâ rerum, et cogitationum suarum de Deo disserunt, hîncque humana ad Deum transferunt. Errant, qui ipsi ingerunt attributa, quae sunt mentis nostrae conceptus.

¿ *Quid prae oculis habere semper debet Philosophus, qui de Deo loquatur* ?

Nihil dignè de illo posse mortali oratione depromi.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

DE FINE, PERFECTIONE, USU, ET ABUSU VOCABULORUM.

¿ *Quinam sunt vocabulorum fines* ?

Memoriae, et communicationi cum aliis inserviunt.

¿ *Quomodo memoriae inserviunt* ?

Vocabula cum ideis nexu arctissimo colligantur. Inde fit ut numquam fermè, ne taciti quidem, cogitemus sine vocabulorum

usu: ac priùs quandoque vocabula menti suppetunt, quam vocabulorum notiones. Vocabulis ergo memoriae ideas figimus, et connectimus.

¿ *Huic usui quaecumque indiscriminatim vocabula inservire possunt?*

Possunt: sat enim est vocabula pro signis aliquarum rerum constituere, ut iis recurrentibus recordemur nostrarum notionum.

¿ *Idem est dicendum de vocabulis, quatenus communicationi cum aliis inserviunt?*

Minimè: quiá nec alii nos, nec nos alios intelligere poterimus, nisi de vocabulis conventionem faciamus.

¿ *Usus vocabulorum communicationi inservientium quotuplex est?*

Duplex: civilis, et philosophicus.

¿ *In quo est positus civilis usus?*

In eo, quod utamur vocabulis licet negligentèr, et crassè, ita tamen ut familiaribus colloquiis intelligamur.

¿ *Quo positus est philosophicus?*

In eo, quod praecisè, distinctè, facilè, et brevitèr ideas explicare curemus.

¿ *Vocabula usui respondent cum civili, tum philosophico, quibus sunt instituta?*

Nequaquam: quia impossibile est voca-

bulis ita uti, ut omnes, qui audiunt, illis easdem notiones, et paritèr amplas ac nos, conjungant.

¿Quinam sunt vocabulorum abusus?

Sex sunt.

Primus: cum aut vocabula sine ullis praecisis, et définitis notionibus, sed cum vagis, et genericis, adhibentur, aut cum sine ullâ mente, et ideâ usurpantur.

¿Undè hoc vitium provenit?

Aut ex ignorantiâ rei expraessae, in quâ sat non sumus versati, aut ex negligentiâ, ob quam priusquàm loquamur, res, et vocabula animo non volutavimus, aut ex malitiâ, quaemamodùm impostores solent efficere, qui vocabulis duplicibus, et obscuris vulgi admirationem arripiunt.

¿Quinam est secundus abusus?

Uti inconstantèr eodem vocabulo, ut rem hanc nunc, aliam tunc exprimamus.

¿Undè hoc vitium provenit?

Aut ex linguae egestate, aut ex imperitiâ loquentis.

¿Quinam est tertius?

Affectata obscuritas.

¿Quomodo in hanc obscuritatem incidimus?

Aut affigendo receptis vocabulis notiones novas, quin audientes de hoc moneamus, aut novas, et oblitteratas voces adhibendo, quin definiantur, aut ita aggerendo simul vocabula, ut aenigmata configamus.

¿Qui duobus modis primis obscuri apparent?

Qui parum in linguâ, quâ utuntur, versati sunt.

¿Qui tertio modo obscurì erunt?

Qui clarè, et distinctè cogitando non assueverunt.

Quartum abusum exponas.

In eo situs est, ut credamus, vocabula rerum essentias reales exprimere, cum nihil aliud significare possint nisi notionem illius, qui vocabulis iis utatur.

Quintus nos manet.

Credere quasdam ideas nequire exprimi vocabulis ab iis diversis, quibus uti assuevimus.

¿Quaenam sunt abusus istiusmodi consectaria?

Quod quotiescumque eadem notio aliis, quàm assuetis, vocabulis exprimatur, minùs nos moveat. Quod credamus satis esse vocabula pronunciasse, ut ab aliis intelli-

gamur, et subirascamur iis, qui vocabulorum eorum definitionem postulant.

Sextum demùm abusum affer.

Tropis, aut figuris uti, dum narrare, instruere, aut demonstrare sumimus.

¿ Quare his usibus tropi, et figurae non sunt adhibendae?

Quia tropi apti sunt placere, et figurae affectus movere potiùs, quàm illustrare intellectum. Hinc, qui malâ versantur caussâ tropos, figurasque adhibent, ut judices, quos rationibus capere nequeunt, voluptate, et affectibus capiant.

LIBER TERTIUS.

LOGICA JUDICATRIX CRITICAM COMPLECTENS.

* *¿ Postquam errores noscere, et vitare, et primas rerum notitias Logicus haurire sategit, quò est illi progrediendum?*

Eò nempe, ut de idearum cum semet, aut cum aliis convenientiâ, quo sita est veritas, judicet. *

CAPUT PRIMUM.

DE VERO ET FALSO, DEQUE VARIIS ANIMI STATIBUS QUOAD VERITATEM ATTINET.

¿ Quid est veritas?

Concordia rei cujusvis cum suâ regulâ.

¿ Quotuplex est veritas?

Moralis, realis seu Metaphisica, et Logica.

¿ Quid est veritas Moralis?

Concordia sententiarum animi cum signis, quibus exprimi solent.

¿ Quid opponitur huic veritati?

Mendacium.

¿ Quaenam est veritatis moralis regula?

Conscientia, intimus nempe sensus.

¿ Quid est veritas realis et Metaphisica?

Conformitas rei cum seipsâ: haec conformitas est quandò res est id, quod naturâ esse debet, easque habet proprietates, et relationes, quae illi suâ naturâ conveniunt.

¿ Quid est huic veritati oppositum?

Nihil omninò, cum res non possit non esse id, quod est.

¿ Quaenam est hujus veritatis regula?

Ipsa rerum natura.

¿ Quid est veritas Logica?

Ut exactè respondeamus distribui debet in formalem, et objectivam.

¿ Quid est veritas Logica formalis?

Convenientia idearum intér semet, aut judiciorum cum ideis.

¿ Quid est veritas Logica objectiva?

Conformitas idearum, et judiciorum, cum objectis.

De re agimus, quae clariori explicatione indiget

Formalis, sivè idealis veritas in eo sita est, quod ideae simplices, quibus complexa idea constat, in se spectatae, et absque respectu ad objecta, conjungi possint, utpotè quae non excludantur, quia sibi invicem non repugnent: vel in eo, quod ideae, quae judicando conjungimus, vel separamus, conjungi debeant, et separari. Veritas autem objectiva in eo sistit, quod ideae, et quod in judiciis affirmamus, vel negamus, objectis cognitis exactè respondeant.

¿ Quid opponitur veritati logicae?

Formali nescio quid possit opponi. Objectivae opponitur falsitas, quae erit discordantia idearum, judiciorumque ab objectis.

¿ Quaenam est veritatis istius regula?

Objectum idearum, et judiciorum.

¿ Quaenam ex his veritatibus est scientiarum scopus?

Veritates logicae objectivae, quibus mentem instruere debent homines, si benè, et beatè esse velint. Nam benè, beatèque vivimus, cum Naturae convenientèr vivimus, quod esse nequit nisi convenientèr cogitemus, id est nisi ideae, et judicia nostra, naturae rerum sint consentanea. Si ergo

studia mentem humanam his veritâtibus instruunt, utiles summoperè sunt litterae ad beatè, et benè vivendum.

¿ Quot sunt animi status respectu veritatis ?

Quatuor, status ignorantiae, dubii, opinionis, et certitudinis.

¿ Quando in ignorantiae statu mens reperitur?

Quando nullas, aut non exactas veritatis ideas habet.

¿ Quotuplex est in homine ignorantiae status ?

Triplex: aut omnigenae ignorantiae, aut merae fidei, aut ignorantiae scientiâ conjunctae.

¿ Qui in primo statu reperiuntur?

Infantes adhuc non nati.

¿ Quinam in secundo?

Illi, qui paucas, et confusas, atque obscuras ideas habent, et non á se, sed ab aliorum sensu, et opinionibus judicant.

¿ Qui in tertio statu versantur?

Omnes homines: sunt etenim plurima, quae vel doctissimi nec sciunt, nec scire possunt.

¿ Quis est status dubii?

Ille, quo mens judicium quodcumque suspendit.

¿ Quotuplex est dubium ?

Positivum, et negativum.

Utrumque difinias.

Positivum est quandó mens judicium suspendit, quia ex utrâque parte rationum aequalia momenta adsunt. Negativum quandò pro nulla ex partibus extant rationes.

¿ Quis est probabilitatis, aut opinionis status ?

Ille, in quo mens alterutram in partem flectitur, sed timidè, et perplexè, quia ex unâ adsunt tantùm rationes nec evidentes, nec certae, aut quia ex utrâque adsunt aliquae, sed ex alterutrâ graviores.

¿ Quis est certitudinis status ?

Ille, quo ita mens de sententiâ suâ est convicta, ut quamvis velit, dubitare non potest.

¿ Quisnam est certitudinis judex ?

Intimus cujusque sensus, sive conscientia.

¿ Esse potest apparens certitudo ?

Utique: quia plures, etiam docti, opinionem falsissimam aliquandò tamquam certam habuerunt.

¿ A quibus apparens certitudo exoritur ?

A quatuor: nempè: vel á mentis brevitate, vel á praejudiciis, vel á pigritiâ, vel ab affectibus.

* *¿Potest esse certitudo certitudine major?*

Si certitudo spectetur ut status mentis ita convictae de aliquâ veritate, ut nullo modo dubitare de eâ valeat, esse non potest certitudo aliâ certitudine major, quia si esset, minor certitudo timori alicui errandi subjiceretur, tuncque jam certitudo non esset. Major autem alia aliâ esse potest, si spectetur ut securitas judicii veri: nam non omnis certitudo est vera, ut loquentes de apparenti certitudine statuimus: cum autem veritas gignatur, augeatur, et minuatur, ex fundamentis, quibus nititur, quae majora, et minora esse possunt, consequitur gradus in certitudine esse posse, si hoc ultimo modo veniat spectanda. *

CAPUT SECUNDUM.

DE SCIENTIA, ET FIDE.

¿Quid est scientia?

Cognitio clara, certa, et evidens, usu rationis comparata.

Quotuplex est scientia?

Duplex: simplicis intuitionis, et demonstrationis.

Primam explica.

Est illa, quae sine ullo ratiocinio habetur, solâ collatione idearum. Talis est scientia axiomatum.

¿Quid est scientia demonstrationis?

Quae ratiocinio gignitur, ut scientia theorematum.

¿Quaenam ex his duabus scientiis perfectior?

Prima, quia et facilior est, et securior.

¿Quinam est scientiae character?

Evidentia.

Quid est evidentia?

Quid sit meliùs intelligitur, quam ullis vocabulis explicatur. Si eam definire cogerer, summam dixissem esse, et vividam perspicuitatem in cognoscendo.

¿Quotuplex est evidentia?

Triplex: Matematica, Phisica, et Moralis.

¿Quid est evidentia Matematica?

Ea, cujus opositum est intrinsecùs impossibile. Haec in iis reperitur, quae nec sensui, nec phantasiae, sed purae intellec-

tioni debentur, velut axiomata intelligibilia.

¿ Quid est evidentia phisica?

Illa, cujus oppositum cum presenti rerum ordine, Mundive sistemate pugnat, sed non est intrinsecùs impossibile. Haec in axiomatibus, et demonstrationibus reperitur, quae á sensibus derivantur.

¿ Quaenam ex his duabus evidentiis alii praestat?

Matematica, cum non nitatur sensibus, qui illusionibus sunt obnoxii.

¿ Quid est evidentia moralis?

Illa, cujus oppositum fidei probis debitae pugnat, seu quae nititur testimoniis, de quibus nemo sanus dubitare audeat.

¿ Evidentiam certitudo comitatur?

Utique, cum nemo dubitare possit de rebus, quas perspicuè cognoscit.

¿ Si moralis evidentia Dei testimoniis nititur, cuinam certitudini ejus certitudo aequivalet?

Matematicae, cum impossibile intrinsecum sit Deum mentiri.

¿ Cuinam verò aequivalet, si hominis testimoniis nitatur?

Phisicae.

¿ Quid est fides?

Est certitudo ab alterius auctoritate exorta.

¿ Idem est scire, ac fide credere?

Minimè: Ea, quae scimus, evidentèr videmus; ast non videmus ita ea, quae credimus, licèt de iis certi simus ob narrantis auctoritatem.

¿ Dependet fides á scientiâ, probitate, et caeteris characteribus ejus, qui loquitur?

Minimè: sed á persuasione, quae nobis de iis caracteribus inest. Hînc est, quod eidem auctori alii majorem, minorem alii praestent fidem.

¿ Rerum illarum, quas credimus, habemus aliquam ideam?

Utique, quia aliàs vocabulum *credere* significaret nihil, cum nemo assensum praestare possit propositioni, de quâ nullam ideam habet.

¿ Quodnam ergo discrimen erit inter ideas, quas habemus de propositionibus, quas scientiâ, et eas quas fide cognoscimus?

In primis cognoscimus ejus terminos, et connexionem intelligimus: in secundis licet terminos cognoscamus, non intelligimus connexionem, licet eam credamus ob narrantis auctoritatem.

Profer exemplum.

Credo Deum esse Unum, et Trinum: Dei ideam, et unitatis, trinitatisque habeo, ast non capio Dei cum unitate trinitateque connexionem, licet certus de eâ sim ob Dei revelantis auctoritatem.

¿ Quid sibi volunt propositiones juxta rationem, supra rationem, contra rationem, quas, dum de fide loqui assolent, effutiuntur?

Propositio juxta rationem est illa, quae ideis nostris, quas á sensu, et meditatione habemus, comprehenditur, et demonstratur, ut Sol est ignis.

Supra rationem est propositio, quae ex ideis nostris nec ut vera, nec ut falsa cognosci valet, cum in ipsis nullomodo contineatur: v. g. Deus est Unus, et Trinus.

Propositio contra rationem est illa, quae principiis rationis opposita est, sive quae constat ex ideis mente nostrâ comprehensis, sed pugnantibus suâ naturâ v. g. Homo irrationalis.

DE VERI, ET FALSI TESSERA.

¿ Quid est veritatis criterium?

Argumentum, quo de judiciorum nostrorum veritate tuti esse possumus.

¿ Extat tale criterium?

Negavere Pirronici; sed errarunt. Licet enim plura sint, quae ignoremus, dubitemus de pluribus, plura opinionibus relinquantur; aliqua tamen sunt, quae certò cognoscimus.

¿ Quodnam est veritatis criterium?

Evidentia: nemo enim iis lubentèr non assentiatur, quae evidentia appareant.

¿ In omnibus veritatis generibus eadem evidentia requiritur, ut de iis tuti esse queamus?

Non eadem: in rebus intelligibilibus evidentia intellectûs, in sensibilibus evidentia sensuum, in historicis auctoritatis evidentia requirenda. En tria veritatum criteria, quae tradit Leibnitius.

¿ Falluntur ergo, qui fidei dogmatibus assentiri repugnant, eo quod in eis intellectûs evidentiam non inveniant, quam in rebus Ma-

stematicis, phisicisque inveniunt?

Falluntur turpissimè: cum enim de dogmatibus evidentiam á Dei revelantis auctoritate habeant, non possunt, si rationales sunt, dubitare.

¿ Quisnam est evidentiae judex?

Conscientia affectu purgata, sensus optimorum communis.

¿ Brevis mens nostra falli in evidentiâ aestimandâ non potest?

Non potest: brevis mens nostra efficere quidem poterit ut nec omnia evidentèr percipiamus, nec simul plura; non verò ut falsa sint, quae evidentèr percipimus. Eodem modo ac debilis oculorum vis efficit ut distantiora, vel minutiora objecta non videamus; non verò ut dubitemus ea esse, quae distinctè, clarèque cernimus.

¿ Quinam canones ex huccusque dictis deduci queunt?

Hi tres:

1. Quae doctrina clarè ab omnibus intelligitur, ei est praeferenda, quae aut á nullo, aut á paucis, et obscurè intelligitur.

2. Quae argumenta clariora sunt aut omnibus, aut multis rei, de quâ agatur, peritis, quàm responsiones sint, responsionibus praeferenda.

3. Quae inter viros peritos in partes oppositas disputantur, sunt inter incerta habenda.

Si matematicae evidentiae phisica sit opposita, ¿ quaenam est praeferenda?

Matematica, quia summa est.

Si matematica evidentia matematicae, vel phisica phisicae opponi videatur ¿ quid faciendum?

Alterutra fallax est. Ut quae fallax deprehendatur, sensus sapientum communis est consulendus.

Si humanae auctoritati matematica, aut phisica evidentia opponatur ¿ cui valedicebimus?

Auctoritati: cum iis enim evidentiis nec dignitate, nec securitate conferri potest.

Si evidentiae phisicae clara Dei opponatur auctoritas ¿ quaenam praeferenda?

Auctoritas Dei, utpotè infallibilis.

Si auctoritas Dei matematicae evidentiae opposita appareat ¿ quam regulam observabimus?

Vel evidentia non erit matematica, vel Dei auctoritas clara non erit: nequeunt enim haec inter se opponi. Examinandus ergo sensus Sapientum communis, ut evi-

dentia discernatur, et consulenda Ecclesia ut rectè auctoritatem ex ejus judicio interpretari queamus.

¿ Quid de Huetii sententiâ judicas asserentis nullam esse in ratione, sed in auctoritate Dei esse veritatis tesseram ?

Et falsa, et religioni noxia est.

¿ Quare falsa ?

Quia sunt, ut antea statuimus, veritates, de quibus ex ratione nostrâ dubitare non possumus.

¿ Quare Religioni est noxia ?

Quia sublatâ rationis certitudine, auferuntur credibilitatis, ut vocant, motiva.

¿ Quomodò ?

Quia si nihil certè ratio docet ¿ quomodò motiva illa cognosci possunt, quae revelationem faciunt evidentèr credibilem ?

CAPUT QUARTUM.

DE PROBABILITATE.

¿ Quid est probabilitas ?

Quoddam argumentorum pondus, quod prudentem quemque assentiri cogat; ast non tollat ab animo omnem errandi formidinem.

¿Quotuplex est probabilitas?

Intrinseca, et extrinseca.

Singulas definias.

Probabilitas intrinseca illa est, quae á principiis deducitur unde argumenta pro re, de quâ agitur, sumi debent. Sic erit intrinsecè probabile Lunae degere incolas, si Terrae et Lunae analogia inspiciatur, et alia addantur hujus generis argumenta.

Extrínseca est, quae á principiis desumitur, unde argumenta pro re non sunt haurienda: sic extrinsecè probabile redderem Lunam habere incolas, si seriem Philosophorum contexerem, qui illud sustinùissent. Extrinseca etiam probabilitas dicitur ea, quae ex auctoritate hominum dessumitur in iis rebus, quae ad facta non attinent.

¿Quaenam ex iis probabilitatibus est securior?

Intrinseca, quia ex fontibus illius scientiae, de qua agitur, propriis dessumitur

¿Extrinseca probabilitas absque intrinsecâ prudentem animum movere potest?

Neutiquam: quia nemo prudens probabiles credet ob auctoritatem humanam res eas, quae argumentis ex locis propriis des-

sumptis non comprobentur: v. g. da centum Matematicos rem affirmare, non quia rationem consuluerint, sed quia ita voluerunt. Id probabile non efficietur. Extrinseca ergo probabilitas nulla est absque intrinseca.

¿Quibus augetur intrinseca probabilitas?

Et argumentorum numero, et connexione, que illa habuerint cum principiis, quibus nitantur.

¿Quibus verò augetur extrinseca?

Non ab auctorum numero, sed ab eorum capacitate, et scientiâ. Propterea major erit trium, aut quatuor hominum doctissimorum auctoritas, quam mille idiotarum.

¿His positis perperam in historiâ numerus scriptorum exigitur?

Ne id quidèm: in historiâ enim ex textimoniis probabilitas intrinseca constituitur.

¿Quinam canones hauriendi sunt ex allatâ probabilitatis doctrinâ?

Quatuor, quorum primus: opinio illa probabilior est, quae majori intrinsecorum argumentorum numero, sed quae paris sint gravitatis, sit nixa.

2. Illa opinio, quae aequali ac alia argumentorum nitatur numero, sed quae unum aut duo habeat graviora, oppositâ est probabilior.

¿Quando argumentum dici potest altero gravius?

Quando principiis proximius est, aut cum iis conjunctius.

¿Quis autem id dignoscet?

Mens perspicax assuefacta Matematicae, et Criticae usu probabilitatis gradibus inveniendis.

Tertium canon adduc

3. Quae argumenta minoribus exceptionibus sunt obnoxia, probabiliora sunt caeteris, quae obnoxia sint pluribus exceptionibus: v. g. si ex principiis aliquibus ratiocinii ope duplici modo deducam, nullus certitudinem, uterque probabilitatem habebit: si triplici modo deducam, conclusionum sic ductarum minuitur probabilitas: quia in eo argumenti certitudo consistît, quod necessariò concludat, ita ut concludere alitèr nequeat.

Quartus, et ultimus restat canon.

4. Ecce ille: cum agitur de probabilitate extrinsecâ, qui mente valet, id est, aptus est rationibus examinandis, non debet alteri credere, sed ejus probationes examinare. Nam quaeritur haec probabilitas, ut rem nobis persuadeamus; persuadere au-

tem nobis non possumus nisi rationum momenta, quae á nobis expensa sint, in mentem agant.

¿ Quinam de probabilitatis gradibus dimetiendis rectè scripserunt ?

Bernulus *in arte conjectandi*, et Gravesandius *in introductione ad Philosophiam.*

CAPUT QUINTUM.

DE PRAENOTIONIBUS, ET PRINCIPIIS.

¿ Quid est praenotio ?

Praevia vel anticipata cognitio.

¿ Quid sub praenotionibus continetur ?

Ideae rerum, principiorumque generalium.

¿ Quid est principium ?

Propositio per se nota, quae viam sternit ad ignota quaelibet cognoscenda.

Quotuplex est principium.

Duplex: vel est Thesis, vel Axioma.

¿ Quid est axioma ?

Principium per se notum, quod nec debet, nec demonstrari potest: v. g. totum est majus suâ parte.

¿ Quid est Thesis ?

Propositio vera, quae demonstrari potest.

¿ Quotuplex est Thesis ?

Duplex: vel est Hipothesis vel definitio.

¿ Quid est Hipothesis ?

Propositio, quae vera supponitur, quin demonstretur, ut ista, si Mundus providentiâ regitur, existit Deus.

¿ Quid est definitio ?

Illiûs, quod obscurum est, explicatio.

Matematici postulata velut principia cognoscunt ¿ quid ergo est postulatum ?

Petitio quaedam, quam rationalis quisque concedet: ut ab aliquo puncto ad aliud rectam lineam duci posse.

¿ Principiorum cognitio innata est ?

Si esset, vel infantes eam haberent.

¿ Est forsitan ratiocinio adquisita ?

Non est: nil enim ratiocinio cognosci potest, nisi antea principia aliqua cognoscantur.

¿ Quomodò ergo adquiritur ?

Viâ inductionis, vel analogiae super singulares res efformatae: v. g. observantes hoc, aliud, et alterum tota suis partibus esse majora, hoc deducimus universale principium, totum est suà parte majus.

CAPUT SEXTUM.

DE VIIS, QUIBUS SAPIENTIA COMPARARI POTEST GENERATIM INSPECTIS.

¿Quot sunt viae, quae homines ad sapientiam ducunt?

Quatuor: Intimus sensus, Ratiocinium, Experientia, Auctoritas.

¿Quaenam res intimo sensu cognoscuntur?

Internae, quae ad nos spectant, sive quae intra nos sunt.

¿Quaenam ratiocinio?

Res externae sensibus non subjectae.

¿Quaenam experientiâ?

Res externae, quae sensibus subjiciuntur.

¿Quaenam demùm auctoritate?

Quae mentis nostrae captum superant, aut quia remotis locis, et temporibus acciderunt, quibus locum habet humana auctoritas, aut quia ad res fidei á Deo revelatas spectant, quibus divina auctoritas habet locum.

¿Quae regulae servandae sunt ut rectè procedamus iis viis, quae nos ad sapientiam ducunt?

Quatuor, quarum prima: perdiligentèr sensus intimus, experientia, ratiocinium, auctoritas excolenda sunt.

2. Sciendum est, quae sensu, quae ratiocinio, quae auctoritate, quae conscientiâ discenda, et eorum limites non transgrediendi, ita ut sensu v. g. explorare velimus, quae sint auctoritate noscenda.

3. Notiones, quae quatuor iis viis hauriamus perpendendae, ac metiendae: veraenè sint, an á vero distent, et quatenus, an ad extra iis notionibus objecta respondeant pervidendum.

4. Diuturnâ exercitatione discenda ars ducendi ex principiis conclusiones, et secernendi quantum eae sint principiis connexae. Eae verae tantum habendae, quae necessariò cum veris principiis nectantur.

Si deductae conclusiones connexionem necessariam cum principiis non habeant ¿quid erit Philosopho faciendum?

Libentèr fateri probabiles tantùm esse, eòque magis, vel minùs probabiles, quo major, vel minor sit connexio, quam deprehenderit.

CAPUT SEPTIMUM.

DE RECTO SENSUUM USU.

¿ Sensus essentias corporum repraesentant?

Minimè, quia essentia in unione attributorum essentialium est sita, quae corpora referre nequeunt, cum non ad intima, sed ad externa tantùm corporum attingere valeant.

¿ Quid ex hâc doctrinâ eruendum?

Quòd pro miraculis, ac praestigiis statìm habendi non sunt plures corporei effectus, quorum caussas in corporibus non cernamus, plura siquidem nos de corporum naturâ latent.

¿ Sensus certi judices sunt de corporum existentiâ?

Sunt: quia sensoria organa non moventur nisi ab objectorum corporeorum contactu. Tutum ergo est sensuum judicium de corporum existentiâ.

¿ Iidem sensus certi judices sunt de existentiâ corporum, quae ipsis non subjiciantur?

Minimè: plura enim corpora sunt, quae ob tenuitatem, vel distantiam sensus omninò latent. ¿ Quî autem judicent de rebus, quae ipsis non exhibentur?

¿ Quibus in scientiis sensibus uti debemus?

In Phisicis: ita enim hae sensibus subjiciuntur, ut nec natae, nec auctae, et illustratae sint nisi observationibus, experimentisque sensuum.

¿ Non adhibendi sunt sensus in Metaphisicis, Matematicis, Theologiâ revelatâ, et Jurisprudentiâ?

Non adhibendi, imò potiùs cohibendi sunt, nè aut tumultuantes corporeis imaginibus serenam purae intellectionis regionem adumbrent, aut nos faciant ab auctoritate deciscere.

¿ Quid est experimentum?

Corporum industriâ nostrâ ad corpora applicatio, ut effectus pròvenientes perspiciamus. Sic Electricâ, et Boyleanâ machinis utimur.

¿ Quid est observatio?

Attenta phoenomeni intuitio.

¿ Quid est phoenomenon?

Naturalis effectus, qui sensibus subjiciatur.

¿Quaenam sunt expertori, et observatori servandâ?

Accuratè experimenta, et observationes sunt efficienda. Ritè ex iis consequentiae ducendae.

¿Quomodò procedendum, ut accuratè illa efficiamur?

Adhibendi sunt homines periti, et faciles in instrumentis versandis. Instrumenta summâ arte sint fabrefacta. Diversis temporibus, et locis experimenta iterentur, et magnoperè cavendum, ne ad experimenta capienda, aut phoenomena observanda animo systematico, et opinionibus imbuto accedamus.

¿Quaenam regulae servandae sunt, ut ex experimentis, et observationibus ritè consequentiae ducantur?

Hae quatuor, quarum prima esto: dati phoenomeni caussae omnes possibiles investigentur, et diligentér cum phoenomeno conferantur.

2. Proposito phoenomeno ea asignanda est caussa, quae cum exclusione omnium possibilium tamquam vera caussa evidentèr noscatur.

3. Si nec clarè, nec distinctè pateat

quâ ex caussâ phoenomenon proficiscatur, et certi non simus omnes possibiles nos esse complexos, caussae nulla est certitudo. Timidè ergo, et perplexè una aliis est praeferenda.

4. Dum de caussâ certi non sumus, caeteris praeferemus illam, quâ major sit ad effectum producendum ratio sufficiens.

¿Phisici tantum his regulis regendi sunt?

Non tantùm Phisici, sed et Medici, quibus sanitatis corporum cura, et Politici, quibus quietis, et ordinis societatis cura est demandata.

CAPUT OCTAVUM.

DE AUCTORITATE HUMANA.

¿Quando scriptor aliquis narrare dicetur?

Quando quippiam suo, vel praeterito tempore á popularibus suis, vel ab extraneis cogitatum, dictum, aut factum tradit.

¿Quando verò dogmatizare dicetur?

Cum aut aliorum sententias velut suas, aut suas affirmatè doceat, ac docendo ratiociniis adductis auditoribus probari velit.

¿ Quomodo narratio vocatur?

Historia, et in hac potissimùm humanae

auctoritati est locus : dogmata siquidem tantum valent, quantum rationes, quibus sint comprobata.

¿ Quotuplex est Historia ?

Politica, naturalis, et litteraria.

¿ Quid est historia politica ?

Quae res narrat, quae hominibus accidunt.

¿ Quae sunt historiae politicae species ?

Tres: vel enim est divina, vel religiosa sive ecclesiastica, vel profana.

¿ Quid sunt hae historiae ?

Quae res complectitur, quas Deus erga homines, et apud homines gessit, aut gerit, est divina. Quae res narrat, quas homines erga Deum fecerunt, est ecclesiastica. Profana veró illa, in qua res hominum nec divinae, nec sacrae narrantur.

¿ Politica historia esse non potest generalis, et *particularis ?*

Utique : generalis res narrat totius humani generis : particularis res gestas uniûs nationis complectitur.

¿ Quid est historia naturalis ?

Ea, quae narrat phoenomena, observationes, et experimenta, quae de rebus corporeis sunt instituta.

¿Quid est historia litteraria?

Talis ea dicetur, in quâ virorum litteratorum opiniones, et scripta recenseantur, aut origines, et progressus artium, atque scientiarum narrentur.

Ut quanta historiae fides sit debita cognoscamus ¿quid perpendendum?

Quae sit historici scientia, et probitas. Id est, quoad scientiam perspiciendum in primis quanta sit historici perspicacia: perspicaces enim homines difficultèr sibi imponi patiuntur.

Postea inquirèndum quaenam media habuerit, ut sciret factum, quod narrat: si enim media sciendi illi defuerint, licet perspicax, poeta potiùs, quám historicus est credendus.

Quì scire possumus historicum exactas factorum, quae narrat, notitias habuisse?

Habuit si coevus fuit, aut domesticus: locorum enim, temporumque distantiâ facta immutantur.

¿Quodnam erit ferendum judicium de scriptore nec domestico, nec coevo?

Ille tantam meretur fidem, quanta documentis, ex quibus haussit notitias, sit debita.

¿Scientia facti in scriptore non sufficit?

Requiritur etiam probitas: si enim probus non sit, fallendi erit capax, licet, cum scientiam facti habuerit, ille non fuisset falsus.

¿Quaenam argumenta historici probitatem suspectam reddere possunt?

Suspecta erit, si ex ejus vitā constet mendaciis fuisse propensum: si mendacia in scriptis inveniantur: si parti alicui fuerit addictus: si non veritatis amore, sed stili exercendi caussa scripserit.

¿Rejiciendus historicus erit ex eo tantùm, quod falli poterat?

Minimè: sed exquirendum utrum revera fuerit falsus.

¿Si factum aliquod á pluribus oculatis scriptoribus referatur, potestne revocari in dubium?

Si dotibus illis praediti erant, qui in historicis requiruntur, factum illud erit certissimum.

¿Sed si factum ab uno solo, vel duobus oculatis scriptoribus enarretur?

Certum non est, sed certitudini proximum.

¿Si factum aliquod rationi sit apertè contrarium, et ab scriptore referatur, erit ne certum?

Falsissimum.

¿ Si verò opponatur moribus temporum, ad quae pertinet, est etiam falsum ?

Erit: ut si aliquis diceret Romanos Clusium Bombardis expugnavisse.

¿ Falsitatis notâ historia inurenda est, quae moribus, et consuetudinibus praesentis soeculi adversetur ?

Neutiquam: mores siquidem, et consuetudines diversis soeculis sunt diversae.

¿ Negari potest factum ab aliquibus historicis coevis relatum, eo tantùm, quod alii illum non referant ?

Minimè: quia potuit á malitiâ, vel negligentiâ silentium produci.

¿ Quid de enarratione judicabimus historicorum nec oculatorum, nec coevorum, quae facta contineant, á coevis oculatis non memorata, dum illud memorandi opportunitas adfuit ?

Justa erit de facto hoc dubitatio, quia vero est simile quod illud sumpsissent á popularibus rumoribus, qui sunt fallaces.

¿ Negabimus factum circa quod nulli extant scriptores oculati ac coevi, quod tamen referant posteriores ?

Non negabimus, quia horum auctoritas

probabilis est, dummodo argumenta in contrarium sint nulla.

CAPUT NONUM.

DE AUCTORITATE DIVINA.

* *¿ Quot viis Deus hominibus alloquî potest ?*

Viâ mentis : viâ phantasiae : viâ sensuum.

¿ Quomodò viâ mentis alloquitur ?

Cum cogitationes suas mentibus nostris affundit : nam cum Deus pura sit mens, mentibus nostris ita potest uniri, ut cogitationes, et voluntates suas nobis aperiat, etsi quâ id ratione fiat fortè ignoremus.

¿ Quomodò viâ phantasiae loquitur ?

Cum alicujus rei imagines in cerebro nostro excitat, dum vigilamus, aut cum divina somnia immitit. Hoc modo pluriès Deus Prophetis Hebraicis est locutus.

¿ Quomodò loquitur viâ sensuum ?

Vel producens in auribus articulatos sonos, quales in Hebraicis Patriarchis produxit : aut oculis exhibens quaedam signa, quibus voluntates suas explicet, qua-

lis ignis erat ex coelo ad victimas consumendas, descendens. *

¿ Quandò quis credere potest Deum illum alloqui ?

Quandò modo insolito mentem nostram, aut phantasiam afflari sentiamus, eisque cogitationes insolitas, divinas, sanctas affundi persentiscimus, quarum productione nec nos nostrâ, nec alii suâ operatione concurrant.

¿ Cautène hoc Judicio ferendo procedendum est ?

Cautè et perspectè, humanae enim, et diabolicae fraudes sunt subtilissimae.

¿ Quibus signis impostorem noscemus, qui se inspiratum venditaverit ?

Ex rebus, quas se dicit Dei nomine fari: ex illorum dotibus, qui eum inspiratum reputent: ex motivis, qui illum induxerint, ut se inspiratum esse ostendat: et ex signis, quibus suam missionem confirmet.

Rem agimus, quam exemplo vellem illustriorem.

Impostorem fuisse Mahummedem conficiam quia plures fabellas, doctrinasque contrarias edocuit: quia imperii fuit ambitiosus: quia Arabibus supertitiosis hominibus, et incultis, prophetam se exhibuit: quia

nullis divinis signis missionem, quam jactabat apud homines confirmavit.

¿ *Quibus signis homo verè inspiratus dignoscitur?*

Prophetiâ, et miraculis.

¿ *Quid est prophetia?*

Praedictio eventus, qui nec naturalibus caussis, nec consueto naturae ordine praevideri queat.

¿ *Quare haec praedictio divinae inspirationis est signum?*

Quia brevis humana mens, nec Diabolus ipse futura contingentia, et libera praevidere potest.

¿ *Quid est miraculum?*

Eventus contra, aut supra naturae vires, et leges.

¿ *Cur miraculum signum est divinae inspirationis?*

Quia solus Deus, qui naturae leges statuit, eas vel suspendere, vel immutare potest.

¿ *Quomodò autem discernemus utrum eventus aliquis miraculum sit, an potiùs diabolicum aliquod praestigium?*

In iis personis, quae á Deo mittuntur, conjuncta veniunt miracula, veraeque, et sanctae doctrinae praedicatio. Insuper, qui

Dei virtute miracula edunt, tam confidentèr edunt, ut facilè ab eo fieri intelligantur, qui habeat in naturâ imperium. Talia sunt Christi miracula pro doctrinae de amore Dei, et proximi confirmatione patrata, et mirâ facilitate profecta. Leprosus Christum adit, *Domine*, *si vis*, inquit, *potest me mundare*. *Volo*, respondet Jesus, et confidentèr. Statim mundatus est. Idem in caeteris omnibus videas, quae evangelicâ historiâ narrantur.

CAPUT DECIMUM.

QUA RATIONE DISCERNI POSSINT DEI VERBA.

¿ Quaenam sunt perpendenda ut discernere valeamus Dei verba, ab iis, quae Dei non sunt ?

Plura, sed quinque praecipua. 1. Quinam fuerit scripti auctor: si enim constet hominem inspiratum scripsisse librum, liber divinus est reputandus.

¿ Quis hominem inspiratum fuisse decernet ?

Ecclesia, cujus judicium de Dei verbis discernendis est proprium.

2. Utrum libri genuini sint, et integri, id est, utrum illi ab iis scripti, quibus tribuuntur,

et eo tempore, quo feruntur, et utrum aliqua addita, vel mutilata, vel aliquo modo depravata in eis fuerint.

¿Undè noscemus utrum liber sit integer?

A coevis, de quibus constet nec librum, nec auctorem eos ignorasse, nec affectu aliquo fuisse commotos.

¿Quid tertio loco videndum?

3. An potuerit aliqua impostura subesse, et an imponere alicujus intererit.

¿Quaenam esse possunt imposturae hujusce caussae?

Ambitio, ut in Muhammede: libertatis, commodi, et voluptatis desiderium, ut in iis, qui apud Turcas *Santones* vocantur. Falsa pietas, ut in semi-Christianis, qui Mercurium Trimegisti vulgarunt. Odium, ut in auctoribus evangeliorum apocriphorum. Nimis vivida phantasia, ut in Quakeris.

¿Quid quarto loco perpendere velles?

4. An libri, de cujus divinitate agatur, contineant aliqua veritati, aut pietati adversa. Deus enim, cum perfectissimus sit, horum auctor esse non potest.

¿Quid demùm quinto, et ultimo loco videndum?

5. An illorum librorum auctores doctri-

nam, quam scripserunt, prophetiâ, miraculisque confirmaverint.

¿ Unde hanc notitiam hauriemus ?

Ex eodem fonte unde de librorum integritate notitias sumpsimus.

CAPUT UNDECIMUM.

DE LIBRORUM MENDIS.

¿ Verosimile judicas in veteribus libris menda irrepsisse ?

Non negabit ille, qui sciat typographicam artem veteribus soeculis fuisse ignoratam, et ad decimum quintum inventam. Antiquitùs scribebantur libri, non excudebantur. En foecunda errorum scaturigo.

¿ Quibus ex caussis librorum deffectus dimanavere ?

Quatuor recenset Joannes Clericus: nempè Librarios, Criticos, Impostores, tempus.

Singulas explica.

Quoad primum. Librarii vel ob imperitiam, vel ob negligentiam, vel ob festinationem, quâ alter dictabat, alter scribebat, vel ob characterum varietatem, vel ob interpunctionum omissionem pluribus mendis libros conspurcatos fecerunt.

Quoad secundum: Cum codicum defectus animadverterent Critici, eos emendare curarunt: ast alii ob ignorantiam, alii ob festinationem, sive caussas alias á lucri cupiditate exortas, alii ob audatiam, quâ suas conjecturas tamquam veritates habuerunt, codicum exemplaria immutarunt, erroresque plurimos ediderunt,

Quoad tertium. Ob controversias inter christianos ortas plures ecclesiasticos scriptores depravare tentarunt ut ad suas traherent partes. Impostorum istiusmodi non fuit exigua copia, ut nos litteraria docet historia.

Quoad quartum. Ex temporum injuriis ortum est, quod membranae, et chartae, laceratae, et deletis pluribus litteris ad nos venirent. Indè sine Librariorum, Criticorum, aut Falsariorum culpâ lacunae plurimae in veterum scriptis sunt factae, quae saepe nullo ingenio expleri possint, aut quae non commodè repleantur.

CAPUT DUODECIMUM.

QUIBUS INDICIIS LIBRI GENUINI AB SPURIIS, ET INTEGRI A CORRUPTIS DISCERNI POSSINT.

¿ *Quid est liber genuinus?*

Ille, qui ab auctore illo, cui tribuitur, scriptus est.

¿ *Quid est liber integer?*

Ille, cui nil detractum, nil additum. Si aliquid ab illo detractum est, vocatur liber mutilatus, si aliquid additum, interpolatus vocabitur.

¿ *Quot regulas praescribunt Critici ut hâc super re judicium feramus?*

Decem: et esto prima. Si antiquis codicibus liber alteri scriptori tribuitur ab eo distincto, cui posteris soeculis tribuatur, liber hic genuinus non est. Erit interpolatus, si contineat aliqua, quae antiquis codicibus desiderantur: mutilatus verò si omittit aliqua, quae codices antiqui contineant.

¿ *Quâ ratione haec regula nixa est?*

Hâece: sicuti in historiâ veteres scriptores coevi, et facti conscii, recentioribus sunt praeferendi, sic dum de libri genuinitate,

et integritate agatur, veteres codices recentibus praetulimus, ni ratio aliqua adsit, quae contrarium exposcat.

2. Si testimonia, quae Veteres laudant, libri alicujus nunc in eodem desiderentur, liber hic aut genuinus non est, aut est mutilatus. Ast si haec textimonia alitèr in veteribus, in recentibus codicibus legantur alitèr, liber est suspectus.

3. Libri, quorum nulla in veteribus catalogis mentio, quique memorati non sunt ab ullo subsequentis aetatis scriptore, ut plurimùm, aut ficti, aut suspecti habendi sunt, ni ratio aliqua adsit, quae contrarium suadeat.

¿Haec regula in Phedro, et Curtio locum non habet?

Id fateor. Hînc cautè eâ utemur, quia argumento nititur negativo.

Produc regulam quartam.

4. Libri, qui aut rejecti, aut in dubium vocati sint ab antiquioribus, admitti ut genuini nequeunt propter auctoritatem Recentiòrum, nisi rationes gravissimae nos commoveant.

¿Quâ ratione fulcitur haec regula?

Ecce illa: quia Auctorum opera coevis,

aut viciñioribus eorum aetatis notiora esse debent; quàm iis, qui sunt rematiores. Quò enim seriùs nati sumus, eò tenuior venit ad nos rerum praeteritarum notitia.

¿ Quaenam est quinta regula ?

5. Docet librum, qui dogmata tradit iis contraria, quae scriptor, cujus nomen praesefert constantèr deffendit, spurium, aut interpolatum esse habendum.

¿ Cautione plurimâ, ni fallor, haec regula est adhibenda ?

Nec falleris: potuit enim scriptor doctior factus alia scribere, aut priorum potuit non recordari, quod iis, qui plura scribunt, contingit. Potuit etiam Sceptlcismo esse paulò additior, ut Plato, Cicero, et Baileus, ac inde in diversis locis dogmata diversa tueri.

Reliquas regulas exponas.

6. Liber, quo aut personae, aut facta memorentur auctore, cui tribuitur, recentiora, vel spurius, vel interpolatus erit.

7. Liber ineptiis, aut mendaciis refertus sapientis, et probi auctoris esse non potest, licet antiquis codicibus nomen ejus praefixum fuerit.

8. Liber, quo controversiae referantur

temporibus auctore posterioribus ortae, vel quo auctoris recentioris deprehenditur imitatio, spurius, vel interpolatus.

9. Si libri stilus diversus sit ab eo, quo auctor, cui tribuitur, uti solebat, vel ab eo, quo illius soeculi homines utebantur, liber ille spurius, aut interpolatus est.

10. Vocabula recentia indicant aut scriptorem recentiorem, aut libri antiqui interpolationem.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

QUOMODO SIT DE PROPOSITIONIBUS SCRIPTORUM JUDICADUM.

DE PRIMIS PROPOSITIONUM AFFECTIONIBUS.

¿ Quid est propositio?

Oratio, quâ judicium exprimitur, quaeque propterea integram sententiam continet, quâ affirmatur aliquid, aut negatur.

¿ Quot partibus constat propositio?

Tribus: subjecto, de quo affirmatur, aut negatur, praedicato, quod de subjecto affirmatur, aut negatur, et copulâ, sive verbo, quo subjectum, et praedicatum aut conjunguntur, aut separantur.

¿ *Hae omnes partes in omni propositione exprimuntur?*

Subintelliguntur aliquae aliquandò. V. g. *Sum.* Haec propositio huic aliae aequivalet: Ego sum existens.

¿ *Quomodò divitur propositio?*

Vel ratione materiae, sive terminorum, ex quibus constat, vel ratione formae: id est, conjunctionis, vel disjunctionis terminorum.

¿ *Quotuplex est ratione materiae?*

Simplex, complexa, et composita.

¿ *Quid est propositio simplex?*

Quae terminis simplicibus constat, ac indè in varias resolvi non potest: v. g. virtus est amabilis.

¿ *Quid est propositio complexa?*

Ea, quae alias enuntiationes complectitur á principali diversas, quae incidentes dicuntur. V. g. in Mundo ii, qui minùs habent, aliquid divitibus addunt. Principalis propositio haec est, *addunt aliquid divitibus:* incidens verò, *qui minùs habent.*

¿ *Quotuplex est propositio incidens?*

Aut explicativa, aut restrictiva. Prima est ea, quâ principalis explicatur, aut ornatur: v. g. Ninus, qui fuit idem atque

Belus, fundavit Ninivem. Secunda est, quâ incidens restringit subjectum, vel praedicatum: v. g. Homines, qui sapientes sunt, rectè judicant. Potest etiam incidens subjectum, vel praedicatum ampliare, aut extendere, et tunc propositio amplificativa dici potest, v. g. studiosi, vel qui primis labellis litteras degustarunt, rumoribus popularibus adquiescere non assueverunt.

¿Quid est propositio composita?

Quae pluribus subjectis, aut praedicatis constat: v. g. Aristoteles, Cartesius, Newtonus fuerunt magni Philosophi.

¿Quotuplex est propositio composita?

Aliae sunt expressè compositae, quibus apparet compositio, aliae latentèr, quibus compositio non apparet.

¿Quotuplex est propositio expressè composita?

Conjunctiva, disjunctiva, hipothetica, seu conditionalis, caussalis, discreta, et relativa.

Singulas definias.

Conjunctiva est illa, cujus partes conjunctivis particulis *et*, *atque*, *ac*, *nec*, *neque* &c in uno verbo conjunguntur: v. g. Aristoteles fuit et Philosophus, et Princeps Philosophorum;

vel nec Philosophus, nec Princeps Philosophorum.

Disjunctiva est illa, cujus partes disjunguntur per particulas *vel*, *aut*, *sive*, et alias similes: v. g. quodcumque animal aut est masculus, aut foemina.

Hipothetica est, cujus membra conditionalibus particulis copulantur, *si*, *dum* &c. v. g. si Mundus providentiâ regitur, Deus est. Pars illa, quae particulâ *si* regitur, vocatur antecedens, aut conditio, altera consequens, seu conditionatum.

Caussalis illa est: cujus partes iis uniuntur particulis, quae caussam significent, *quia*, *ut*, *ideò*, et aliis: v. g. legimus, ut sciamus.

Discreta est, quae continet duo judicia de eodem subjecto, quorum unum ajens est, alterum negans v. g. Qui trans mare currit, mutat coelum, nòn animum.

Relativa est illa, cujus una pars ad aliam refertur: v. g. sicut vita mors erit.

¿ Quotuplex est propositio latentèr composita ?

Exclusiva, exceptiva, comparativa, inceptiva, desitiva, et reduplicativa.

Singularum afferas definitiones.

Exclusiva continet particulas exclusionem

notantes v. g. Deus tantùm est aeternus.

¿ Hâcce propositione quot includuntur?

Duae hae, Deus est aeternus, nulla alia res est aeterna.

¿ Quid in hâc propositione observandum?

Utrum particula exclusiva ad subjectum, utrum ad praedicatum referatur. Si refertur ad subjectum, vocatur propositio *de subjecto excluso*, et significat attributum nulli alii subjecto convenire, ut videtur in exemplo allato. Si ad praedicatum referatur particula, vocatur propositio *de praedicato excluso*, et significat nullum alium attributum subjecto illi convenire posse: v. g. oculus videt tantùm, quâ exprimimus oculum ita videre, nt nec audiat, nec odoretur, &c.

Definitiones propositionum innutarum prosequaris.

Exceptivae aliquid exceptivarum particularum ope excipiunt: v. g. omnia sunt mortalia, preter spiritus. His duabus aequivalet, spiritus est immortalis: caeterae creaturae mortales sunt.

Comparativa est illa, quâ comparatio instituitur: v. g. ira amore est validior. Duas continet has: ira, et amor affectus sunt

validi, ira tamen est amore validior.

Inceptiva, et desitiva rei finem et aliûs initium indicat: v. g. á Tridentinis comitiis res Europae litteraria incrementum accepit. Haec duabus his respondet: ante comitia Tridentina litterae jacebant (quae est barbariei desitiva) post litterae floruerunt (quae est inceptiva litterarum.) Idem dicas de caeteris.

Reduplicativa duplicat aliquem terminorum particulis *prout*, *ut* &c. v. g. non coluerunt sicut Deum: id est coluerunt quidem, sed non ut Deum.

¿Quas regulas tradunt Logici ut de his omnibus propositionibus judicium feramus?

Septem tradunt.

1. Ut propositio copulativa vera sit necesse est ut omnes ejus partes veritatem habeant. Si una fuerit falsa, tota falsa erit. Nam affirmatio, et negatio, quae una, et individua est, omnes partes complectitur.

2. In disjunctivâ medium aliquod reperiri non debet, ut vera sit. Nam si reperiatur, propositio, quae illud non includit, et tamquam unica exponit ea, quae exponit, est falsa. Sic falsa fuisset Hannibalis ad milites propositio, aut moriendum, aut vincen-

dum, nisi priùs fugiendi vias penitûs occlusisset.

3. Veritas conditionalis propositionis non á veritate partium, sed á rectâ conjunctione, et consequutione dependet. Nam in hâc propositione nec antecedens, nec consequens affirmatur, vel negatur, sed tantùm connexio, quae si adsit, vera est propositio, si absit, falsa.

4. Vera erit propositio caussalís, si revera una pars sit caussa alterius: hoc enim est, quod propositio innuit

5. In propositione exclusivâ veritas difficillimè patet. Ut pateat veritas propositionis de subjecto excluso, sciri debent omnia alia subjecta existentia, aut possibilia, si ad haec etiam propositio refertur. Ut pateat veritas propositionis de praedicato excluso sciri debet adequatè subjecti essentia. Utrumque autem ¿quis sciat? Hînc non facilè istiusmodi judicia enuncianda sunt. ¿Quis ferat hominem, qui haec de subjecto excluso pronuntiet: in sola tellure sunt animantia: vel haec de praedicato excluso: corpus nullas habet proprietates, nisi quas cognosco?

6. Omnis propositio inceptiva continet de-

sitivam, et desitiva inceptivam: v. g. Ante soeculum XIV non erat ars Tipographica, ergo fuit post seoculum XIV.

7. Propositiones incidentes explicativae non influunt in veritatem, vel falsitatem principalium: ergo licet verae, vel falsae sint, nihil principalium interest. Veritas autem, vel falsitas incidentium caeterarum plurimùm interest principalium.

¿Quid ergo faciendum dum in has propositiones inciderimus?

Incidentes explicativae non sunt nimiùm urgendae, nec pertinacitèr sciptoribus imputandae. Qui enim scribit, de principalibus potissimùm est solicitus, minùs verò de incidentibus explicativis. Contra faciendum circa incidentes caeteras, quae principalium partem efficiunt.

¿Quotuplex est propositio ratione formae?

Necessaria, contingens, possibilis, impossibilis.

Singulas explica.

Necessaria est, cujus termini sunt naturâ suâ conjuncti, v. g. Deus est bonus.

Contingens illa, cujus termini non necessariò, et naturâ suâ uniuntur, v. g. homo est dives.

Possibilis, cujus termini uniri valent, v. g. eris Logicus.

Impossibilis, cujus termini uniri nequeunt, v. g. Deus est mortalis.

Si modum, quo praedicatum subjecto unitur, in propositione non explicetur ¿quomodò vocatur propositio?

Absoluta. Tales sunt propositiones, quas exemplis proximè allatis exposuimus.

Si verò modus unionis exponatur, dicetur propositio modalis, v. g. Deus necessariò est bonus.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

DE RELIQUIS PROPOSITIONUM PROPRIETATIBUS.

¿Quot sunt reliqua in propositionibus observandâ?

Quinque: quantitas, qualitas, oppositio, conversio, et aequipolentia.

¿Quid est quantitas propositionis?

Subjecti extensio. Si subjectum est idea universalis, erit propositio universalis, erit autem particularis, vel singularis, si subjectum sit particularis, vel singularis idea.

Si verò subjectum nullo afficiatur signo, propositio indefinita dicetur.

¿Quaenam sunt harum propositionum signa?

Propositionum universalium *omnis*, *nullus*, particularium *quidam*, *aliquis*, &c.

Singularium subjectum est individuum, aut latior aliquis terminus limitatione aliquâ, et contractione ad individuum modificatus: v. g. hic homo, homo, qui nunc transit.

¿Propositiones indefinitae, quibus aequivalent?

Si sunt necessariae universalibus, si contingentes particularibus. Sic haec propositio, homo est animal, huic aequivalet, omnis homo est animal: haec alia, homo est dives, huicce particulari, aliquis homo est dives. Ratio patet.

¿Quotuplex est propositionum universalitas?

Duplex, vel metaphisica, vel moralis. Prima est illa, quâ nulla est exceptio, ut ista, omnis homo est mortalis. Secunda, quae exceptionem patitur, ut ista, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

¿Quid circa earum usum cavendum?

Né ex universalibus moralibus particula-

res indiscriminatìm deducantur, tamquam si nulli, ut metaphisicè universales, exceptioni subjicerentur.

¿ *Facilè judicas discernere an sit propositio metaphisicè, an moralitèr universalis?*

Non facilè: tamen rectè procedet is, qui partìm ex auctoris mente, et loquendi ratione, partìm ex naturâ rei, de quâ agitur, id deducat. Sic universalem esse metaphisicè hanc Pauli propositionem, Deus vult omnes homines salvos fieri, ex rei naturâ deduco, quia Deus est omnium omninò Pater ex mente Pauli, qui semper docet Deum personarum non esse aceptorem &c.

¿ *Extensio, id est universalitas, vel particularitas praedicati in totius propositionis extensionem non influit?*

Non influit, quod enim ad plures extendatur, vel paucos, non ab eo procedit, quod enuntietur, sed ab iis de quibus sit enuntiatum.

Utilem ducis praedicati extensionem cognoscere.

Imò et necessarium ut plura, quae de ratiocinio dici possunt, intelligantur.

¿ *Quam ergo ad id cognoscendum regulam praestas?*

In propositione ajenti praedicatum sumi-

tur particularitèr. Nam cum de subjecto aliquid praedico, omne quidem, quod sub attributo illo contineatur, de eo praedico, non verò omnia illa ad quae extendatur. Si hominem voco animal, sensus est non hominem esse omne animal, sed aliquod animal.

In neganti propositione praedicatum universalitèr sumitur. Nam cum aliquid á subjecto removeo, innuo illud sub nullo individuo esse posse eorum, quae praedicatum significat. Sic dum hominem assero non esse lapidem, sensus est hominem nullum omninò lapidem esse posse.

¿ Quid est qualitas propositionis ?

Affirmatio, et negatio.

¿ Quid est propositionum oppositio ?

Pugna duarum propositionum eodem subjecto, et praedicato constantium.

¿ Quot modis opponi possunt propositiones ?

Vel in quantitate, vel in qualitate, vel in utrâque simùl. Quantitate pugnant duae ajentes, aut negantes, quarum una universalis sit, particularis alia, et dicuntur subalternae. Qualitate pugnant duae universales, quarum una affirmet, altera neget, et dicuntur contrariae: vel duae particulares, negans una, altera ajens, et dicuntur sub-

contrariae. In quantitate, et qualitate pugnant duae, una universalis, alia particularis, sed una negans, altera ajens, contradictoriaeque appellantur

¿Quas regulas praefigis circa veritatem propositionum oppositarum?

Has sex.

1. Ex propositionibus contradictoriis, si una est vera, alia est necessariò falsa.

2. Ex duabus contrariis si una est vera, altera est falsa: nequeunt ergo esse simùl verae.

3. In materia contingenti si una est falsa, altera falsa esse potest. Possunt ergo in hâc materiâ simùl esse falsae.

4. Ex contrariis si una est falsa, altera est vera. Nequeunt ergo esse simùl falsae.

5. At verò in materiâ contingenti si una est vera, altera vera esse potest. In hâc ergo materiâ possunt esse simùl verae.

6. Ex subalternis in materiâ necessariâ si una est vera, vera altera, si una falsa, falsa alia erit.

In contingenti potest una esse falsa, et alia vera.

¿Quibus haec doctrina inservit?

Ut extensionem propositionum intelliga-

mus, et adversarium, qui nobis cum disputet, contradictionis convinci possit.

Primus usus magnus est in auctorum dictis interpretandis. Iis enim oppositas propositiones faciemus, atque utrasque librantes, quanta sit propositionum, quas auctor offert, extensio nitidè intelligemus. Ex. g. Falsa est haec propositio (quia proscripta) *in statu naturae lapsae interiori gratiae numquam resistitur.* Fiat ei contraria *in statu* &c. *semper resistitur.* Et haec falsa juxta leges. Vera ergo erit contradictoria *in statu*, &c. *aliquando resistitur.*

Secundus usus talis est: cum ex oppositis utrumque nequeat esse verum, si quis propositionem veram neget, oppositam ei faciemus, quam si iterùm neget, oppositum affirmat, et negat.

¿ Quid est propositionum conversio?

Mutatio praedicati in subjectum, et subjecti in praedicatum, manente eâdem qualitate, quantitate autem aliquandò immutatâ.

¿ Quid est aequipolentia?

Reductio duarum propositionum oppositarum ad sensum eumdem.

¿ Quibus usibus doctrinam conversionis,

et âequipolentiae adhibebimus?

Hodiè nullis: olim tamen cum sophisticae grasssabantur argutationes, iis aut alendis, aut finiendis erat percommoda. Qui veterum scholarum artes noscere cupiat Facciolati rudimenta logica adire potest.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

DE ARTE HERMENEUTICA.

¿ Quid est Ars Hermeneutica?

Ars aliorum verba, sententiasque ritè intelligendi.

¿ Quotuplices sunt regulae, quas haec ars praestat?

Alias externas vocare possumus, quia ad cognitionem spectant, quibus ille debet esse instructus, qui ad legendum accedit; alias internas, quia ad illa attinent in quae legens in ipso libro advertere animum debeat.

¿ Quot et quae sunt primae?

Hae sex.

Qui librum sit interpretaturus, quâ scriptus est linguam probè callere debet, nam si non originali libro, sed versione utatur, sensum auctoris fortè non assequetur.

¿ Cur non assequetur ?

Quia versiones nec sunt perfectae, ita ut auctoris mentem planè exhibeant, nec perfectae fieri possunt, ut domonstrat Simonius in Historiâ criticâ.

¿ Quare perfectae esse non pòssunt ?

Quia linguae sibi adamusìm non respondent. Quia linguis omnibus sunt idiotismi proprii, nativi colores, venustates, emphases, quae verti in alienam linguam non possint. Quia qui libros vertunt vocabula accipiunt, ut plurimùm, ex relatione ad objecta, vel ad proprias notiones; non verò ad auctoris ideas.

Caeteras regulâs statuas.

2. Curandum est ut auctorum, quos interpretamur, emendatissimos codices habeamus: si enim mutili, interpolativè sint, aut prohibent, quominùs auctoris mentem assequi valeamus, aut in caussâ esse possunt, cur auctori ipsi non suas sententias tribuamus.

3. Discendae sunt antiquitates gentis ex quâ scriptor sit, mores, forma regiminis, cultus publicus, &c. Necessariò enim scriptor opinionum, et morum propriorum coloribus librum tinget.

4. Spectandus est finis, quem sibi scriptor proposuerit: aliâ enim ratione interpretandus Philosophus est, cujus scopus veritas, alia orator, sive Poeta, cujus scopus placere: quâ de caussâ vel contra id, quod sibi persuasum habent, popularia praejudicia sectântur. Hanc regulam prescribit Hieronimus iis, qui Sanctorum Patrum scripta legant. Aliter enim loquebantur in homiliis ad populum, in quibus quaedam aut tacebant, aut obscurè explicabant, ne in profanas gentilium aures pervenirent, aliter in libris dogmaticis, aut epistolis familiaribus ad eruditos datis.

5. Si obscurus sit locus aliquis, interpretatio eorum, qui auctoris fuerunt vel discipuli, vel coevi, vel amici, recentiorum interpretationi praeferenda est, modò verba non refragentur. Illi enim potiùs, quam hi auctoris sensum assequuti fuere. Hâc utentes regulâ apostolicarum doctrinarum interpretatione praeferemus veteres Patres Apostolis viciniores.

6. Caeteris paribus in locis obscuris praeferenda interpretatio illius, qui in materiâ, de quâ auctor commentatur, scripsit. Idem dicas de interpretatione illius, qui auctoris

linguae peritus est. Patet hujus regulae ratio,

¿ Quae sunt regulae internae?

1. Verba cum naturali sensu accipieeda sunt, nisi certa adsit ratio, ut á sensu naturali recedamus. Haec autem ratio est, aut quandò litterali sensu nullam auctor refert sententiam, vel eam refert, quae instituto suo repugnat, et hominis sapientis indigna est.

2. Obscura loca per clariora explicanda sunt,

3. Propositionum subjecta, et praedicata diligentèr investigentur, et examinentur: horum enim notio propositionis sensum facilliorem captui reddet.

4. Ritè legamus.

¿ Quomodò autem ritè legemus?

Si eos primùm legamus libros, qui facem aliis praeferant: si librum sine interjectis moris legamus, qui enim interruptè legit, nec quae legat memoria tenere valet, nec inter se illa conferre, ex quo fit ut lecta intelligere nequeat: si tantùm legerimus, quantum ferre possit memoria, opprimit enim animi vires multa, et varia lectio: si quae legimus seriò meditatione volvamus; si ad-

notationes, et commentarios perspicacium virorum consulere tandem curemus.

¿ Credendus est obscurus liber ille, qui nobis obscurus videatur?

Minimè: id enim venire potest aut ex ignorantiâ rei, de quâ in libro agatur, aut ex linguae, quâ auctor usus est, imperitiâ, aut ex nostro intellectu obtuso, aut ab aliis circunstantiis, quibus versemur.

¿ Quando ergo prudentèr judicabimus librum aliquem esse obscurum?

Quando homines docti, et periti rei, de quâ agat, illum obscurum credant, vel quandò licèt obscuritatem non fateantur, commentatationum varietate eam demonstrant.

¿ Quaenam regulae servandae sunt ut obscurum locum aliquem explicemus?

Illae, quae et auctoris fini, et sistematis oeconomiae, et doctrinis praecedentibus, et consequentibus sint conformiores.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

DE LIBRORUM DIVINORUM INTERPRETATIONE.

* *¿ Statui possunt regulae ad Dei verbum interpretandum?*

Taylorus Anglus Episcopus statui non posse affirmat: credit siquidem Deum datâ operâ ita scripturas dictasse, ut voluisse videatur mentem nostram perpetuò exerceri, atque eam brevis suae capacitatis convinci.

¿Quid de hâc opinione judicas?

Esse falsissimam: Deus enim intelligi voluit, cum scripturas ob eruditionem nostram dictavit. *

¿Quas ergo regulas scripturis interpretandis statuis?

Praeter generales interpretandi regulas, quas antea statutas relinquimus, aliae duae divinis libris speciales servandae sunt.

1. Finis examinandus est, quem sibi Deus proposuerit illo libro dictando: Nam fine noto, et doctrinarum connexio, oeconomiaque, ut dicunt, noscetur, quâ cognitâ, et doctrinae partes clariùs intelligemus, et omnium dogmatum utilitatem pervidebimus, atque ita de totâ doctrinâ judicium ferre poterimus.

¿Quo fine Deus scripturas dictavit?

Ad ea nos docenda, quae credere, sperare, amare, operarique debemus, ut illi placeamus, aeternamque felicitatem adipisci possimus.

? Quid ex hoc fine deducendum putas ?

Primum: Deum voluntatem suam hominibus hebraeo, graecoque idiomate manifestantem propriis eorum phrasibus usum fuisse, et juxta mores Hebraeorum, Graecorumque fuisse affatum: aliter enim intelligi ab auditoribus non potuisset. Juxta has ergo linguas, phrases, et mores scriptura venit interpretanda.

Secundum: non esse in libris sacris veritates metaphisicas, astronomicas, phisicas, et hujus generis alias, quae ad religionem, et mores non spectent, pervestigandas. Noluit enim Deus scripturis homines doctos reddere, sed sanctos, et pios.

Sacris ergo in libris omnia plana, et facilia erunt.

Plura sunt obscura, et perplexa, ut Commentatorum variae interpretationes, et lapsus demonstrant.

¿ Quaenam sunt caussae hujus obscuritatis?

Absque ullâ scriptorum sacrorum culpâ nobis scripturae possunt esse obscurae his caussis. Ob ignorantiam hebraici idiomatis, veterisque historiae. Ob prophetias, quae cum ad res ocultas, et futuras spectent,

multùm adlaborandum est ut personis, factis, locis, temporibusque aptentur. Ob quamdam obscuritatem, quam nobis debent exhibere vocabula: cum enim divinae mentis ideas ostendant, nequeunt á nostris inferioribus mentibus perfectè capi. Pronunciata siquidem á perfectiori mente ideas exprimunt iis subliminores, quae ab imperfectâ amplecti, capique queant. Accedit quod addat obscuritatem stiÿlus ob emphases, aenigmata, parabolas, allegorias, caetera, quae ad ornatum pertinent, orientalium idiomatum propria.

¿ In omnibus scripturae libris eadem est emphasis?

Minimè: Moyses, et Samuel historiam contexerunt: David, et Jobus poetas fecerunt, philosophos Sidrach, et Salomon, Esaias, Ezequiel, Prophetaeque caeteri oratores.

¿ Quae ex his cautio adhibenda?

Historicos, et philosophos minùs allegoricè, quam Prophetas, et Oratores interpretari.

¿ Quid faciendum ut faciliùs scripturas intelligere valeamus?

Seriem factorum omnium, doctrinarum, vocabulorum ordinatam contexere, ut ex doctrinis, verbis, et factis clarioribus sen-

sus factorum, verborum, doctrinarumque obscuriorum planior reddatur.

Secundam ex his, quas innuisti, regulam produc.

2. Scriptura juxta totiûs Catholicae Ecclesiae consensum venit interpretanda. Nam nequit illa á nobis intelligi, nisi eum, qui illam dictavit, spiritum assequamur. Hic autem spiritus Ecclesiae promissus fuit.

LIBER QUARTUS.

LOGICA RATIOCINATRIX.

* *Qui emendatum habeat intellectum, primas rerum notitias claras, distinctasque haurire sciat, et de illarum convenientiâ, vel repugnantiâ judicare optimè valeat, ¿quo tandem ducendus est?*

Eò, quò ex notis ideis, et judiciis, ideas, et judicia ignota ratiocinio colligat. *

CAPUT PRIMUM.

DE DIMETIENDIS, ET AUGENDIS MENTIS DOTIBUS AD RATIOCINIUN REQUISITIS.

¿Quid requiritur ut rectè ratiocinemur?

Mentis capacitas, perspicacia, soliditas, attentio, et regulae.

¿Quo reponis mentis capacitatem?

In eo, quod magnum habeamus idearum numerum, quas memoria exhibeat.

¿Quare haec memoria ad ratiocinium requiritur?

Ut habeamus in promptu ideas, et judicia nota, ex quibus ignota ducamus, quo ratiocinium consistit. Hinc qui paucas numero ideas habent, ut infantes, et qui nec legerunt, nec observarunt, exiguam habent scientiam, et parum ratiocinantur.

¿ Quotuplex est memoria?

Duplex, servilis, et philosophica. Prima est memoria verborum, eâque parum perspicaces pollere solent. Secunda est memoria rerum, quâ pollent acutiores, et sagaciores. Haec ultima primâ est, prout patet, praestantior.

¿ Memoria est naturae dos?

Licet facilitas reminiscendi, et retinendi á cerebri temperie potissimùm pendeat, adhuc exercitatione augetur. Propterea ars illam plurimùm juvat.

¿ Haec exercitatio, haec ars quo posita est?

1. In eo, quod optimos libros legamus, cum rerum naturâ, doctisque hominibus conversemur, et haurire curemus undequaque novas rerum notiones.

2. In eo, quod res, quas dicimus, vi-

vidis sub initium, et claris ideis nobis exhibeamus.

3. In eo, quod super illas ideas meditemur, saepiùsque eas in animum revocemus.

4. In eo, quod eas scriptis mandemus, saepèque relegamus.

5. Denique in eo, quod ideas omnes in naturales series connexas inter se disponamus, quo aliae aliis lumen praestare possint.

¿ Servilis memoria est Philosopho necessaria ?

Est. Si enim vocabula ignoret, sententias suas aliis communicare non poterit, nec quidquam discere: plures enim sunt disciplinae, quae ab auctoritate, adeòque á vocabulorum usu dependent. Accedit quod, quoniam ita simus ab infantiâ educati, ut ideas, et earum connexum non nisi vocabulis didiscerimus, nisi haec praesto sint, nè illae quidem sequentur.

¿ Historia litteraria juvat Philosophum ?

Juvat ut facilitatem judicandi adquiramus, dum sapientum opiniones perspicimus, et ut aliorum cogitationibus excitemur ad veritates novas proprio marte inveniendas.

¿*Quid intelligis per mentis perspicaciam?*

Facilitatem percipiendi promptè, et acutè ideas, earumque relationes.

¿*Esse potest judicandi facilitas abs claritate?*

Minimè: qui enim sunt mente obscuri, pauló sunt in judicando impeditiores.

¿*Quare ad ratiocinium hanc perspicaciam requiris?*

Quia ii, qui difficultèr, et confusè ideas, et earum relationes cognoscat, paucas, et obscuras propositiones ex iis deducet. Perperam ergo rationabitur.

¿*Quid est mens solida?*

Mens illa, quae ideas habet, quibus realia extra ipsam objecta respondent.

¿*Ad quid hanc soliditatem requiris?*

Non ad ratiocinia utcumque efformanda, cum haec statim constent, ac ideas claras, licet non reales, earumque relationes noscamus, et ex ipsis alias ducamus: sed ad ratiocinia vitae utilia, necessariaque instituenda. Talia erunt, quae ex rebus externis perfectè cognitis colligamus, ut iis uti possimus. Haec autem ratiocinia non nisi ex ideis realibus manare queunt.

¿ Quâ viâ perspicaciam, sive judicandi facilitatem, et mentis soliditatem adquirere possumus?

1. Librorum optimorum lectione, qui ab auctoribus emunctae, ut dicunt, naris conscripti sunt.

2. Exercitatione super res difficillimas, atque utiles.

3. Perpetuis disputationibus cum iis, qui mente, et judicio valeant: disputationibus, inquam, non de rebus, aut ignotis, aut obscuris, aut demùm ineptis. De his enim si disputemus, nulliùs, aut exigui emolumenti erit acumen, et facilitas, quae progignatur, cum menti obstet soliditati.

4. Denique studio matematis, quod mirum in modum acumen, perspicuitatem, et soliditatem mentis adauget.

CAPUT SECUNDUM.

* *QUANTA SIT COGNITIONIS HUMANAE extensio.*

Priusquam de attentione ad ratiocinium necessariâ verba faciamus, vellem ut demonstrares quousque mentis ratiocinantis cognitiones pateant.

Majores esse non possunt quam idearum nostrarum ambitus: nemo enim objectum cognoscit, cujus nullam ideam habet: sed possunt esse, et sunt, illo ambitu arctiores.

¿ *Quare arctiores* ?

Quia cognitiones nostrae ex collatione idearum exoritur, seu potiùs tota cognitio nostra idearum naturâ, et relationum numero absolvitur. Haec collatio aut intuitione, aut ratiocinio efficitur. Intuitivae cognitiones paucae admodum sunt. Aliae ex ratiocinio manantes non multae sunt numero: quia ratiocinium nil aliud est nisi cognitio relationis veritatis notae ad ignotam. Ast deficit plurimis perspicacia ad relationem hanc cognoscendam, plurimis illae deficiunt veritates notae, ex quibus ignotas deducant. Ergo plura sunt ad quae, etiam si eorum ideas aliquas habeamus, nemo pertingit, plurima ad quae pauci pertingunt. Cognitio ergo nostra minor idearum ambitu esse potest.

Vellem ut limites cognitionum nostrarum exactè figeres.

Hoc ut fiat statuendum est cognitiones nostras, docente Lockio, ad quatuor summa genera referri posse: nempe ad cognitio-

nem identitatis, et distinctionis idearum, coexistentiae realis, relationum, et existentiae realis.

¿Quid significat cognitio identitatis, et distinctionis idearum?

Significat reflexionem, quam habemus de eo, quod idea est id, quod est, et nil aliud, et haec, et non alia. V. g. Percipio ideam hominis, et conscius statim sum esse ideam hominis, et non posse aliud esse, et distingui ab ideâ canis, equi &c.

¿Necessaria est haec reflexio?

Nisi illius identitatis, et distinctionis idearum conscii essemus, nulla cognitio nostra clara esset, et certa, et totus vitae, et actionum ordo perturbaretur.

¿Quid est coexistentia?

Connexio idearum plurimarum quasi in uno, eodemque subjecto: v. g. ideas extensionis, soliditatis, divisibilitatis &c, percipio in unam rem coeuntes, efficientesque illud, quod corpus vocamus. En idearum coexistentia, cujus cognitio necessaria est, quia absque illâ substantiarum ideas efformare haud possemus.

¿Quid significat cognitio relationis idearum?

Cognoscere ideas eas inter se comparando, et nexum, vel discrepantiam percipiendo.

¿ *Necessaria est haec cognitio?*

Ni eam haberemus, nec judicare, nec ratiocinari possemus, sed tantùm rerum unicam haberemus, et simplicem perceptionem.

¿ *Quid est perceptio existentiae realis?*

Cognitio, quam habemus de eo, quod ideae nostrae in naturâ respondet objectum, v. g. ideae Solis Sol, qui existit. Haec cognitio vitae est necessaria. Cum enim non cogitare solùm, sed etiam agere debeamus, rebusque externis uti, nisi capaces essemus cognoscendi existentiam rerum, quae nobis sunt necessariae, nihil omninò agere valeremus.

¿ *Quousque cognitio nostra extenditur quoad idearum identitatem, et distinctionem?*

Eousque, ut plurimùm, quò idearum numerus extendatur. Nam quilibet simplici intuitione percipiet quamcumque ideam claram esse id, quod est, et nil aliud, esseque ab aliâ quacumque distinctam. Ut plurimùm, inquam, nam labilitate memoriae ideae ita turbantur, corrumpuntur, et obs-

curantur, ut de eaurum identitate, et distinctione difficile sit judicare. En exemplum: cognitio identitatis involvit conscientiam, quâ animadvertimus hanc, vel aliam ideam esse eamdem, quam olim habuimus. Hanc conscientiam Isaacus Newtonus senio confectus non habuit, et principia matematica, quae scripsit, non intellexit.

¿ *Multum patent cognitiones nostrae quoad existentiam realem ?*

Non admodùm latè patent. Nam licet cognoscamus sensuum ope substantias corporeas, imperfectè tamen. De caeteris autem sensibus non subjectis aut nullas, aut ita obscuras ideas habemus, ut in unâ reali substantiâ coexistentiam liquidò intelligere non possimus.

¿ *Et quoad relationes idearum multum extenditur nostra cognitio ?*

Minimè: plurima siquidem scientiis omnibus objecta sunt, quae non ita minutatim intelligimus, ut eorum collationem efficere valeamus.

¿ *Latè patet cognitio nostra quoad existentiam realem ?*

Non latè patet: de reali enim existentiâ certi tantùm esse possumus vel cons-

cientiâ, vel sensatione, vel ratiocinio. His autem viis existentiam nostrî, et corporum, quae sensuum organa commovent, caussasque phoenomenorum solùm cognoscimus. Plura autem praeter haec sunt objecta. Ergo de eorum reali existentiâ claras ideas habere non possumus.

Ignorantia ergo vel in doctis hominibus longè major est quam scientia. Plura ignorant, sciunt pauca.

Equidem. Discant igitur homines non superbire. *

CAPUT TERTIUM.

DE ATTENTIONE INTENDENDA.

Quare attentio ratiocinio, inventionique veritatis est necessaria?

Quia quemadmodùm ad corporea objecta intuenda non sufficit quod adsit lux, quodque oculis obversentur, sed requiritur ut oculi erga illa intendantur: contingitque saepe saepiùs ut non videamus praesentia, si interim aliud agamus: eodem modo si intellectus immotus non perstet, dum comtemplatur ideas, earum relationes, ac indè veritatem nullo pacto intelliget.

¿ *Quibus à caussis attentionis deffectus oritur* ?

Ab his quatuor.

1. Est voluptas, aut dolor, praesertim corporis: mentis enim attentio ab impressionibus vivacioribus fertur. Dolor autem, atque voluptas vivaciores impressiones efficiunt, quam veritas.

2. Sunt affectus: hi enim vehementissimè in mentem agunt. Propterea Philosophi, dum affectibus se commotos sentiunt, ab investigationibus veritatum, ferendisque judiciis abstinent.

3. Est phantasia, quae cum vivida sit, et imaginibus corporeis gravida, ab abstractorum, et sublimium veritatum contemplatione revocat intellectum. Propterea qui phantasiam froeni impatientem habeant á sublimioribus studiis abstineant, nè aut inutilitèr tempus terant, aut in crassos, supinosque errores incidant.

4. Sunt sensus, qui animum voluptatibus capiunt, et corporeis impressionibus perpetuò divertunt. Toties haec experimur, quoties seriis incumbimus meditationibus. Tunc enim lumine quolibet, sono, odore paulò insolentioribus distrahimur, ni profunda, admodùm sit meditatio.

¿ Quibus mediis ad attentionem conciliandam utemur ?

His sex.

Primum est excitare in nobis sapientiae amorem, quod fiet si bona, quae illa praestat, ob oculos habeamus, quandoquidem homo vehementèr ea prosequatur, ex quibus bona ingentia valeat haurire.

¿ Quaenam sunt haec bona, quae sapientia propinat ?

Nostrî cura, et conservatio: honores et dignitates, quae veram scientiam cum morum honestate conjunctam tandem aliquandò consequuntur, divitiae, quas secum affert, si in publicam conferatur utilitatem, cui faciendae hominibus datur: voluptates, quas persentiscit is, qui veritates ignotas caeteris contemplatur, quique á praejudiciis humanae vitae infensissimis liberatur,

Caetera attentionis conciliandae media proposita insequaris.

Secundum est iis ipsis caussis, quibus attentio perditur, fructuosè uti ad eam conciliandam. Hînc.

1. Considerare oportet scientias corporeis voluptatibus modum imponere, rectumque earum usum docere. Scientiis ergo volup-

tates labore nostro velut creamus, aut ita purgamus, ut iis licitè uti possimus. Haec nos commovebunt, ut seriò scientiis vacemus.

2. Iis utamur affectibus, qui nos ad sapientiae amorem accendant, ut est honoris inhiatio, praemii spes, aemulatio. Ast excessum omnem vitabimus.

3. Phantasiam et sensus utilitèr adhibeamus. Id fiet si veritates abstractas imaginibus sensibilibus exprimamus, retinereque licuremus, nè dilabantur. Sic Geometrae lineis, et ciphris numerorum utuntur. Sic plurimi sensibilium rerum exemplis ideas exprimunt, hocque modo idearum objecta imaginatione sibi exhibent, et velut intuentur.

Tertium exponas medium attentionis conciliandae.

Tertium est iis omnibus uti, qui torpentem animum concutiunt, et excitant. Concutitur autem, et excitatur agitatione animi, spirituumque cerebri. Hinc vehementi disputatione, elatione vocis, frontis frictione, scriptione, modicis vini haustibus, aut similibus utilitèr quisque utetur. Ast temperamentum proprium noscat, ut hanc, vel illam ex iis concitationibus, quae illi sit conformior, adhibeat,

¿ Quodnam est quintum medium ?

Quintum medium ut proponamus animadvertere opus est dissipari attentionem semper ac res obscurè, perplexè, perturbatè nobis exhibentur, aut ita ut fastidium ingenerent. Homini laborandum est semper ut erectam attentionem contineat. Eam ergo fractam sentiet semper ac nimius illi ad ipsam continendam sit labor. Est autem quando obscurè, perturbatè, aut nimis inconcinnè res nobis exhibeantur. Curandum ergo ut rem, quam examini subjiciamus, contemplemur per partes, quas arctiori ordine concatenemus, et singula propriis verbis, et numeris exprimamus. Huic ordini, concinnitati huic Matematecae, humanioresque litterae juvant.

Ultimum ex propositis mediis referas.

Sextum, et ultimum non á nobis, sed á Praeceptoribus pendet. Curiosum ingenium nobis Natura dedit. Videndum in pueris, quos adhuc educatio non corrupit. Si hanc curiositatem sciimus incendere, mirum in modum conciliabitur discipulorum attentio.

CAPUT QUARTUM.

DE RATIOCINII NATURA,
REGULISQUE RATIOCINANDI.

* *Asseruisti indigere nos regulis, ut rectè ratiocinemur. ¿Quare?*

Quia non sufficit ad ratiocinium ideas claras, et attentionem habere. Necessarium insuper est ideas, et judicia nexû arctissimo in longam quandoque catenam disponere, nexum hunc nitidè aspicere, efformare principia, quae ad particularia applicemus. Tanto autem labori essemus impares, ni regulae, vel observationes aliorum, qui, iis servatis, ad veritatem tandem venerunt, velut manu nos ducerent. *

Ut regulas calleamus ratiocinii natura optimè est noscenda. ¿Quid est ratiocinium?

Ut á principio statutum est, ratiocinamur cum plures notitias, quarum una ab aliâ pendet, ita connectimus ut quod latebat filo idearum detegere valeamus. Est igitur ratiocinium concatenatio idearum, quâ mediâ conjunctae inter se, vel disjunc-

sae appareant ideae, quarum relatio, id est, disjunctio, vel conjunctio primo intuitu non apparebat.

¿ Quot modis latere potest veritas quam ratiocinio quaerere possumus?

Duobus: aut enim quaerere possumus propositiones, quae nobis non fuere antea obversatae, aut quae obversatae fuerant, sed ita confusè ut earum veritatem non videremus.

¿ Quomodo procedit mens dum primo modo ratiocinatur?

Noscit principium aliquod, seu propositionem universalem, cujus veritatem clarè intueatur, et terminum ejus aliquem in simplices, qui illius sint partes, vel quibus aequivaleat, resolvit. Si eos non cognoscat, analisi mediâ, de quâ libro quinto verba facienda, resolutionem efficiet. Hos simplices terminos in simpliciores adhuc resolvit, ut postea de eorum quolibet reliquum principii terminum praedicet, vel separet ab iis, quos sub resoluto termino haud invenerit. His ita factis, tot habebimus propositiones, quae obversatae antea nobis non fuerant, quot sint termini sub resoluto in principio con-

tenti, quotque sint illi, quos sub eodem contentos non perspiciamus. V. g. tamquam principium hanc habeo propositionem *Bona ab hominibus praetio habentur.* Bonum in ejus partes nempe *bona naturae* et *fortunae* resolvo, et quodlibet ex his bonis in simpliciora, quae continet, ut *intellectus, pulchritudo* &c, et de his omnibus praedico *ab hominibus praetio haberi.*

* Ecce operatio ita disposita ut ictu oculi capi possit.

BONUM.	Naturae.	Intellectus.	Ab hominibus. &c.
		Pulchritudo &c.	
	Fortunae.	Divitiae.	
		Honores &c.	

Ita ratiocinor

Bonum ab hominibus praetio habetur
Sed bona Naturae sunt bona.
Ergo ab hominibus praetio habentur.

Bona Naturae ab hominibus praetio habentur.

Sed intellectus est bonum Naturae
Vel sed pulchritudo est bonum Naturae &c.

Ergo intellectus ab hominibus praetio habetur.

Vel ergo pulchritudo ab hominibus praetio habetur.

&c.

Bonum ab hominibus praetio habetur.

Sed bona fortunae bona sunt.

Ergo ab hominibus praetio habentur.

Bona fortunae ab hominibus praetio habentur.

Sed divitiae, vel sed honores bona fortunae sunt.

Ergo ab hominibus praetio habentur.

&c. *

Video sub termino *praetio habetur*, qui praedicati vices in principio gerebat, fugiendum, molestum, et alia sexcenta non contineri. * Dicam ergo

Virtus praetio habetur.

Quod est fugiendum praetio non habetur.

Vel, quod est molestum praetio non habetur.

Ergo virtus non est fugienda, non est molesta, &c. *

Ita etiam modo, quo versamur, ratiocinandi possum procedere ut essentiam, attributa, proprietates, caussas &c. rei per

âliquem principii terminum significatas quaerum, ad affirmandum, vel negandum de iis, quod de illo termino resoluto principium affirmet, vel neget: et etiam viceversa, quaerere possum res, cui competat essentia, attributum, proprietas, caussa &c., quam principium effatur, ut de illâ affirmem vel negem, quod affirmet, vel neget principium. Vel demùm quaerere possum rem, quae nil commune habeat cum aliquo principii termino, ut reliquum de illâ separem * v. g.

Homo est animal rationale.
Animal rationale cognoscit,
Ergo homo cognoscit.

Animal rationale est liber.
Homo est animal rationale.
Ergo homo est liber.

Homo est animal rationale.
Sed lapis non est animal rationale.
Ergo homo non est lapis.

In re clarissimâ superfluerent alia exempla. *

¿ Quomodò procedit mens dum secundo ex allatis modo ratiocinatur: nempè quando propositionem, cujus veritatem non videt, claram, et distinctam reddere amat ?

Investigat principium, ex quo manet, vel cui adversetur haec propositio, quo facto ejus veritatem, vel falsitatem nitidè intuebitur.

¿*Quomodò inveniuntur principia, ex quibus ignotas propositiones ducamus?*

Collatione primarum idearum, quas aut experientiâ, aut lectione, aut intimâ conscientiâ nobis comparatas habemus.

Clariùs haec explica.

Singularium, vel particularium ideas viis, quas innuimus, adquisitas cum aliquo etiam cognito attibuto confero. Quod si clarè, et distinctè animadvertam iis omnibus convenire, eorum collectioni illud tribuo: et ecce principium, quo de singularibus, particularibus, aut partibus alicujus totiûs judicem. V. g. Video partes totiûs cujusvis esse toto minores. Id in toto alio, et in alio, verbo, in omnibus video. Hanc universalem profero: Omne totum est suâ parte majus.

Insuper essentiam, vel proprietatem &c. rerum quaeram, et quod illis competat, rebus iis, et aliis planè similibus tribuam, quod non competat ab iis separem. Vel viceversa, res quaeram, quibus essentia ali-

qua, vel proprietas &c. conveniat, et de iis affirmem, vel negem, quod de essentiâ, proprietate &c. affirmatur, sive negatur.

¿ *Quomodò autem scire possum quid omnibus singularibus competat, cum Mortalium nemo prope infinita, quae sub universali aliquo continentur, examini queat subjicere?* ¿ *Quomodò essentialia noscam, vel attributa, &c., quae omnibus singularibus semper, eodemque modo competant, cum illa omnia attingere nemo possit?*

Ut his ordine satisfaciam duo principiorum genera statuam. Alia ex abstractis ideis constant, alia ex ideis rerum realium, et existentium. Quoad prima: necesse non est singularia omnia ad examen vocare, ut quid omnibus competat perspiciamus. Cum enim ideae abstractae á mente sint efformatae, ab eâque acceperint quidquid sunt, notâ unâ, et omnes similes cognoscentur: quidquid ergo de unâ, et de similibus est dicendum.

Quoad secundi generis principia prolixiùs est procedendum. Ea ex ideis constant, quae, si verae sunt, objectis realibus, existentibusque respondent. Haec autem objecta, hae res á naturâ sunt factae simplici, et varia:

simplici, quia ita operatur ut similia similibus essentialibus attributis, proprietatibusque ornaverit, et similibus viis produxerit, similibus finibus destinarit, ubi circunstantiae sunt eaedem: varia, quia similia quoad accidentia discriminavit. Qui ergo essentialia, vel proprietates, quae in singularibus, vel particularibus omnibus, quae examini potuit subjicere, ad caetera planè similia quoad omnia, quae attingere, et perspicere non potuit, extendat, rectè procedit; non verò si extendat accidentalia. Si de inferendis effectibus, caussis, actionibus, finibusve agatur, rectè procedit dum observata in similibus ad similia extendit, quae in iisdem circunstantiis reperiantur. Quae ergo videat singularibus omnibus examini se subjicientibus essentialitèr, necessariò, uniformitèr convenire, etiam caeteris non examinatis (ac proinde omnium singularium collectioni) absque errandi formidine tribuere poterit. Potest etiam caussam, effectum, actionem, finem in singularibus, quae examen pati queunt, observata ad non observata extendere, (ac propterea omnium penitus collectioni) si in utrisque circunstantiae sint omninò eaedem.

Si extendimus cognita in similibus ad planè similia, et in circunstantiis iisdem, ut postea illa cognita omnium collectioni tribuamus, inductione procedimus, certitudine procedimus. Si veró ea extendimus ad non perfectè similia, vel ad illa, quae in iisdem penitùs circunstantiis non reperiantur, ut ipsa de omnium collectione postea enuntiemus, analogiâ procedimus, probabilitate procedimus, quae probabilitas major erit, vel minor, pro majori, vel minori similitudine, et numero circunstatiarum identicarum.

Cognitis ergo hocce modo essentiâ, essentialibus, proprietatibus, caussis &c. principia condere possumus, quibus de rebus, essentiis, attributis, caussis, &c. ratiocinemus.

¿ Quomodò invenientur principia, quibus veritatem, aut falsitatem illiûs propositionis videamus, quae obscurè, et confusè nobis exhibeatur?

Propterea obscura, aut coufusa propositio aliqua nobis est, quia non videmus utrùm terminus unus sub alio contineatur, vel non: sive quia non videmus utrùm sint inter se planè idem, vel diversi. Si ergo to-

tam propositionem aequalem esse alteri propositioni nobis evidentèr cognitae, seu principio, cujus termini sint inter se idem, vel diversi perspiceremus, et illa evidens red, deretur. Ut autem hoc assequamur terminum illum, qui in obscurâ propositione obscurus sit, vel utrumque, si uterque est obscurus, in simpliciores, et clariores (quos noscam sub iis contineri, quosve, si non videam, analisi media deducam) resolvere eousque curavimus, donec identici, ut dicunt, vel pugnantes reddantur. His ita confectis eamdem esse videmus obscuram propositionem cum evidenti hâc, quam ratiocinando deduximus, et ita evidenti, ut nec amens de ae dubitare sit ausus.

Clariùs haec omnia: Propterea non videmus convenientiam, vel repugnantiam terminorum, ex quibus obscura propositio constat, quia aspectus ille, sub quo conveveniunt, vel repugnant, non statim apparet: inter partes enim plures, vel plures alios aspectus, quos illi termini habent, delitesit. Si ergo eos resolvam procedens ex compositis ad minus composita, donec solus appareat aspectus ille, sub quo conveniunt, vel repugnant, evidens proposi-

tio exorietur, cui obscura aequalis erit. Illi termini simpliciores, qui resolutione oriantur, erunt velut media, quibus ii duo ex quibus obscura constat, uniantur, vel separentur.

Exempla rem illustriorem reddent. Obscura mi sit propositio isthaec *Planta vivit.* Terminum Planta examini subjicio, et video significare *corpus vegetans*, quem novum terminum priori *Planta* subscribo. Examinans terminum *vegetans*, aequivalere video huic, *corpus quod nutritur.* Priori subscribo hunc, quem novo examini subjiciens reperio huic alii respondere, *quod motum internum habet.* Hunc sub anteriori subscribam, et examen instituens invenio aequalem huic alii esse, *quod vim motricem internam habet*, et hunc novum aequalem huic *quod habet vitam, sive vivit.* Si ergo hi omnes inventi termini aequales sunt termino *planta*, huic substituo *vivit*, et obscura propositio eadem est cum hâc alia *quod vivit vivit.* Identica propositio. Principium.

* Ecce analisis praecedens, ut haec ictu oculi videas.

Planta . . . . Vivit.

Corpus vegetans.
Corpus, quod nutritur.
Corpus, quod motum internum habet.
Corpus, quod vim internam motricem habet.
Corpus, quod habet vitam.
Corpus, quod vivit.

Vel obscura mihi sit haec enuntiatio *Patientia est amabilis.* Examinans subjectum *patientia*, video nihil aliud significare, quam *mala abs indignatione ferre.* Hunc novum terminum *Patientia* subscribo, et ejus examen instituens, aequivalere reperio huic alteri *Dolori animum obsignare.* Hunc, postquam anteriori subscriptus sit, intuens, exprimere video *animi tranquilitatem.* Haec aequivalet alii huic termino *Voluptas.* Voluptas respondet huicce *Animum blandè capit*, quem statim converti animadverto in hunc alium *amabile.* Si ergo terminum *Patientia* aequalem esse alii *amabile* reperio, clarè perspicio subjectum, et praedicatum obscu-

rae identicos terminos esse, ac inde nullus relinquitur ambigendi locus. Videas uno intuitu superiorem analisim.

Patientia . . . . est amabilis

Mala abs indignatione tolerare.

Dolori animum obsignare.

Animi tranquilitas.

Voluptas.

Animum blandè capit.

Amabile.

Superfluerent in re clarissimâ alia, quae afferre possèmus exempla, praesertim cum hanc analisis doctrinam fusiùs in quinto libro simus prosequuturi, quo et modum resolvendi, sive ideas medias quaerendi, et principia, quibus nititur, prout vires dederint statuemus. *

¿ Qui terminos resolvat, donec omnes propositiones deducat antea menti non obversatas, quae sub principio aliquo continebantur, vel donec veritatem propositionis alicujus menti obscurè obversatae perspiciat, unum, aut plura efficit ratiocinia?

Plura. Memento exempli, quod attulimus modum primum ratiocinandi explicantes. Bonum statuimus ab hominibus praetio haberi. Sub bono Naturae bona vidimus, et de iis praedicavimus esse praetio habenda. Ecce completum ratiocinium. Sub bonis Naturae intellectum reperimus, et etiam de eo praetio habendum esse enuntiavimus. Ecce ratiocinium aliud. &c. Memento etiam exempli, quo secundum ratiocinandi modum illustrare curavimus. In eo, qualibet substitutione confecta, duos habemus terminos, et ille, qui resolvitur, et novus qui resolutione exoritur. Cum hoc ultimo et ille primus, et reliquus propositionis obscurae comparari queunt, et integrum ratiocinium efficere. * Exemplis potiùs quam verbis res est agenda. Haec ratiocinia ex plantae analisi quam superiùs effecimus, exorientur.

Planta est corpus vegetans.

Corpus vegetans vivit.

Ergo planta vivit.

Corpus vegetans est corpus, quod nutritur.
Corpus, quod nutritur, vivit.
Ergo corpus vegetans vivit.

Corpus, quod nutritur, motum internum habet.
Corpus, quod motum internum habet, vivit.
Corpus, ergo quod nutritur vivit.
&c. &c. *

¿ Quid autem exoritur postquam efformavimus haec ratiocinia, quae sunt velut partes illiùs ratiocinationum catenae, quâ generaliorem, vel obscuram propositionem cum simpliciori vel clarâ unimus?

Tres nos efformasse propositiones, quarum prima est principium, aut universalis aliqua propositio, quae tamquam indubia habetur, quaeque ratiocinii totiùs est fundamentum. Secunda est illius principii ad terminum novum aliquem applicatio, quâ ostendamus eum sub uno ex principii terminis esse contentum, aut non. In tertia terminum principii reliquum cum novo secundae termino conjungimus, aut separamus. Ergo principium consequentiam, tertiamve propositionem continet. Secunda os-

tendit tertiam contineri in principio. Videsis haec omnia hocce exemplo.

Virtus est amabilis.

Patientia est virtus

Ergo patientia est amabilis.

Si sub virtute continetur patientia, necessario patientia est amabilis, quod consequentia enuntiat, ac inde tota, quam latè patet, contenta est in principio *virtus est amabilis.* Ast patientiam in principio contineri secunda propositio demonstrat, quae patientiam innuit esse virtutem.

Alii sub aspectu alio operationem, quam utroque, ex antea allatis, modo ratiocinandi effecimus, contemplantur. Quando obscura propositio clara reddenda fuit, observant tertiam ideam nos quaesivisse, comparationisve terminum, quo conferimus terminum aliquem obscurae, et prima propositio exoritur. Postea reliquum obscurae terminum cum illo tertio novo contulisse nos vident, et secunda propositio sive applicatio est exorta. Quando ambo termini cum illo tertio conveniunt, et inter se conjuncti in tertiâ propositione apparuerunt, disjuncti vero si cum tertio non convenerunt. Si propositio antea menti non

obversata ex noto, et supposito principio eruenda fuit, cum aliquo principii termino novum allium collatum fuisse observant, et adfuisse, et secundam propositionem, sive applicationem ratiocinii, cujus prima propositio principium est. In ultimâ ille novus terminus cum alio, qui in principio erat reliquus, apparet connexus. Unus ergo ex principii terminis, medii vice est functus. (4)

¿Quot ergo erunt dotes facultatis ratiocinandi?

Sagacitas, id est facilitas investigandi principia. Inductio seu facilitas applicandi principia, ita ut consequentiae rectè ducantur.

¿Quaenam erunt consequentiae rectè deductae?

Illae, quas in principiis inesse clarè distintêque intelligamus.

¿Qualis erit consequentia rectè deducta?

Talis, quale fuerit principium, vel applicatio. Horum ratio dum ultimam sillogismorum regulam statuamus, et confirmemus, clariùs patebit.

---

(4) Plura, quibus cuncta, quae hucusque diximus de ratiocinio, illustriora fient, lib. 5. c. 2. invenies.

CAPUT QUINTUM.

DE VARIIS CONCLUDENDI MODIS.

¿Quot modis ex datis principiis concludi potest?

Duobus, directè, et indirectè, adeoque duplex est ratiocinatio, directa, et indirecta.

¿Quid est ratiocinatio directa?

Illa, in quâ ex positis principiis recto ordine consequentia ducitur, sivè quâ ponimus principium, illud applicamus, dein concludimus.

¿Ratiocinatio directa quot modis efficitur?

Duobus: á priori, ut dicunt, et á posteriori. Ratiocinamur á priori cum ex caussis effectus, vel ex essentiis proprietates colligimus. V. g.

Ex caussis.

Mens humana partibus caret.
Quod caret partibus dissolvi nequit.
Mens ergo humana dissolutione non perit.

Ex essentia.

Corpus est solidum.
Quod solidum est penetrari non potest.
Corpus ergo penetrari non potest.

A posteriori verò ratiocinamur cum ex effectibus caussam, vel ex proprietatibus essentiam colligimus. V. g.

Ex effectibus.
Machina miro ordine et fine disposita á caussa esse debet intelligentissimâ.
Mundus autem machina est ordini miro, et fine disposita.
Existit ergo intelligentissima ejus caussa, id est Deus.

Ex propriet.
Justi hominis actio Deo, et hominibus placet.
Ergo haec actio legibus est conformis.

¿*Quid est ratiocinatio indirecta?*

Illa, in quâ propositionem demonstrare non possumus; attamen ostendimus aliter se habere non posse.

¿*Quot modis efficitur haec rationatio?*

Tribus: vel ab absurdis, ut dicitur, vel á debitis consequutionibus, vel á partium enumeratione.

¿*Quid efficimus primo modo, sive ab absurdis ratiocinantes?*

Ostendimus propositionem esse falsam, quia ex illâ absurda sequuntur, aut esse veram, quia sequerentur absurda, dummodo falsa supponeretur. V. g.

Virtus est abhorrenda: falsa est, quia, si vera foret, sequeretur aestimandam non esse animi tranquilitatem, quam virtus ingenerat, quod absurdum.

Luna non habet propriam lucem: vera est, quia, si falsa supponeretur, semper Luaam esse splendidam asserere deberemus, quod est absurdum.

¿ Quid est absurdum?

Propositio illa, quae enuntiationibus opponitur certitudinem matematicam, physicam, aut moralem parientibus.

¿ Quid efficitur secundo modo indirectè rationandi, quem vocasti á debitis consequutionibus?

Propositionem aliquam ut veram ponere: perpendere quid ex eâ consequi debeat, ac, si consequi reperiamus, suppositam illam propositionem veram esse confecimus. V.g. Pono Deum, id est, Mundi caussam intelligentissimam, potentissimam, optimamque existere. Ex propositione hâc consequi debet quod omnia sint in Mundo ita ordinata, ut nil esse ordinatius possit. Inquiro mox an reverà in Mundo res sic se habeant: cumque sic esse reperiam, illam suppositam caussam existere jam confeci.

Hujus generis sunt omnia hipothetica ratiocinia.

Nunc ad indirectum ratiocinandi modum á partium enumeratione veniamus.

Ille est, quo partes omnes enumerantes, easque praeter unam excludentes, hanc, quae remanet, veram esse concludimus. V. g. Ostendendum sit nunc esse hyemem. Sequenti ratiocinio utemur. Sunt anni tempora omninò quatuor, ver, aestas, autumnus, hyems. Nunc autem nec ver est, nec autumnus, nec aestas.

Ergo est hyems.

¿Quae requiris ut rectè procedamus, dum hoc modò ratiocinemur?

Duo haec: enumeratio ita sit integra ut nulla penitùs pars omittatur: exclusio sit manifesta. Quocumque ex his deficiente, et vis ratiocinii deficiet. Hinc si enumeratio, aut exclusio probabilis sit, sive dubia, dubia, vel probabilis erit conclusio.

¿Quando ratiocinium demonstratio dicetur: vel si mavis quid est demonstratio?

Est ratiocinium, quo ita certae, et evidentes propositiones sunt, ex quibus conclusio ducitur, ita haec legitimè ducitur, ut certa, evidensque evadat.

CAPUT SEXTUM.

DE ARGUMEMTATIONE, ET EJUS SPECIEBUS.

¿ *Quid est argumentatio?*

Ratiocinium in ore, aut oratio, quâ ratiocinium exprimimus. Ea ergo, quae de hoc, et de illâ dicenda erunt.

¿ *Quot sunt argumentationum species?*

Novem: Sillogismus, Entimema, Epicheremma, Prosillogismus, Dilemma, Exemplum, Sorites, Inductio, et Analogia.

¿ *Quid est Sillogismus?*

Argumentatio, in quâ propositione positâ universali, aliam ponimus, quâ rem aliquam sub alterutro ex primae terminis contineri, vel non contineri enuntiemus, ut in aliâ tertiâ de ipsâ re reliquum primae terminum affirmando, vel negando dicamus. V. g. Pono virtutem omnem esse amabilem. Sub virtute patientiam contineri enuntio. Duco patientiam esse amabilem. Vel ponem vitium non esse laudandum. Avaritiam sub vitio contentam esse statuo, et concludo non esse laudandam.

Tres in sillogismo propositiones, tresque paritèr terminos esse perspicio ¿quo nomine, et hos, et illas appellas?

Duo termini, quibus deducta propositio constat, extremi dicuntur: qui in eâ vices gerat praedicati, major, qui subjecti, minor vocabitur. Terminus autem ille, cum quo comparantur extremi, medius dicitur. Duae primae propositiones generali nomine vocantur praemissae, (quia praemittuntur veritati, quae est deducenda) tertia consequens, vel conclusio. Ex praemissis ea, quae praedicatum consequentis contineat cum medio termino comparatum, major, quae consequentis subjectum, et medium comparata exhibeat, minor propositio vocatur.

¿Quid est consequentia Sillogismi?

Illatio consequentis ex praemissis, quae particula *ergo*, *igitur*, aliâve simili exprimatur.

¿Quid est entimema?

Est sillogismus ipse, quo aliqua propositio propterea subticetur, quia ita sit clara, ut cuilibet, vel eam non audienti, pateat. Haec ergo argumentatio brevitati conducit. V. g. Tu es homo. Ergo es mortalis.

¿ Quis majorem *Omnis homo est mortalis*, quae subticetur, statim non videat?

¿ Quomodò vocantur entimematis propositiones?

Prima antecedens, secunda consequens.

¿ Quid est epicheremma?

Sillogismus, cujus alterutri, vel utrique praemissarum, sua probatio adjungitur. V. g. Virtus est amabilis, quia homini utilis. Sed patientia est virtus, quia habitus animi bonus. Patientia igitut est amabilis.

¿ Quid est Prosillogismus.

Argumentatio duobus Sillogismis coalescens ita unitis, ut consequentia primi sit una ex secundi propositionibus. V. g.

Omnis spiritus partibus caret.
Anima hominis est spiritus.
Ergo partibus caret.
Sed quod partibus caret est incorruptibile.
Ergo humanus animus incorruptibilis.

¿ Quomodo vocatur propositio, quae minoris locum sillogismo secundo occupat?

Subsumpta.

¿ Quid est Dilemma?

Est argumentatio, quae cornuta dicitur eo, quod propositionem statuat duabus constantem partibus, et incommodum utrinque pariat. V. g.

Vel Impii moriendo toti pereunt, vel eorum animae sunt immortales.

Si primum, nulla illis futurae felicitatis spes; si secundum, nulla item iis remanet felicitas, cum judicium terribile subire debeant.

Ergo nulla est impiis speranda felicitas.

¿ Quid cavendum ei, qui dilemma efformet ?

Ne illud efformet, quod inverti, et retorqueri valeat in arguentem. Videsis hoc in notissimo illo dilemmate: si duxeris uxorem, aut formosam, aut difformem duces. Si primum, placebit aliis: si secundum, tibi non placebit. Si sapis ergo uxorem non duces. Ita invertitur. Si primum mihi placebit. Si secundum non placebit aliis. Si sapiam ergo ducam uxorem.

¿ Quid est exemplum ?

Argumentatio, quae ex uno singulari aliud simile colligit. V. g. Tandem cessant Maris tempestates. Justi ergo hominis calamitates cessabunt.

¿ Quid est Sorites ?

Acervus quidam propositionum ita cohaerentium, ut praedicatum primae sit secundae subjectum, praedicatum secundae sub-

jectum tertiae, et ita deinceps, donec praedicatum ultimae cum primae subjecto sit copulatum.

V. g. Avidus multa desiderat.
Qui multa desiderat, multis eget.
Qui multis eget est miser.
Avidus ergo miser.

¿Quid est inductio? quid analogia?

Harum argumentationum naturam longo sermone quarto hujus libri capite explicatam reliquimus.

CAPUT SEPTIMUM.

DE ARTE SILLOGISTICA.

¿Quid est ars sillogistica?

Illa, quâ traduntur regulae, quibus sillogismus subjici debet, ut rectè concludat.

* *¿Has autem statutas non reliquimus dum de ratiocinii naturâ agebamus?*

Principium tunc statuimus, quo cognito, et observato impossibile sit ineptum sillogismum conficere. Ecce illud: Major propositio contineat consequentiam, minor verò ostendat in eâ contineri. Hoc principium complectitur veritates, quae si ractâ illa-

tione educantur, efficient regulas, quibus seorsim inspectis expeditiùs fortè sillogismos et conficere, et examinare poterunt ii, qui generales veritates ad particulares extricandos casus trahere difficilè queant.*

¿ Quot sunt ergo sillogismorum regulae?

Hae septem.

1. Sillogismus tribus propositionibus, tribusque terminis componatur. Nam si propositio una conclusionem continet, alia ostendit in illâ esse contentam ¿ ubinam alii quartae propositioni erit locus? Quoad terminos: Duo sunt in majori. Ut ostendam in illâ conclusionem contineri, de ipsiûs conclusionis subjecto unum ex majoris terminis praedico, ut reliquum in conclusione praedicem. ¿ Ubinam quarto alii termino locus?

2. Medius terminus saltem in una praemissarum universalitèr est sumendus. Nam bis particularitèr sumptus duas ideas diversas repraesentare potest, eruntque adeo quatuor in sillogismo termini, quo prima regula infringetur. Si dicam aliquis homo est fur. Sed aliquis homo est sanctus. Ergo aliquis sanctus est fur, ¿ quis non videt homines, de quibus in majori, alios esse ab hominibus, de quibus in minori fit sermo?

3. Termini in conclusione nequeunt esse universaliores quam in praemissis. Nam si conclusio continetur in majori, et minor in eâ contineri demonstrat, conclusionis termini in majori contenti erunt, et contentos esse minor mostrabit. Nunc, si aliquis conclusionis terminus latiùs quam majoris termini pateat, in iis non continebitur, cum majus á minori complecti nequeat: si vero latiores sint conclusionis termini quam in minori, haec non ostendet contentos esse in majori tota eâ, quam habent, extensione, ac inde sillogismus erit ineptus.

4. Ex praemissis ajentibus ajens tantum manat conclusio. Nam negans in ajentibus haud continetur.

5. Ex praemissis negantibus nulla manat conclusio: non ajens, quia in praemissis negantibus contineri nullatenus valet: Non negans, propterea enim in conclusione praedicatum á subjecto removeremus, quia contineretur sub aliquo majoris termino, de quo praedicatum ipsum conclusionis negavimus. Negans autem minor ostendit conclusionis subjectum sub majoris terminis non contineri. Ab hoc ergo subjecto praedicatum removere haud possumus.

6. Ex praemissis particularibus nihil omninò ducitur. Nam in sillogismo . qui particularibus praemissis coalescat , aut medius terminus bis sumeretur particularitèr , quod secunda regula vetuit , aut terminus aliquis latior in conclusione appareret quam in praemissis, quo tertia regula infringeretur.

7. Conclusio sequitur debiliorem partem. Hoc est , si ex praemissis ajens sit una, altera negans , negans erit conclusio : si una sit particularis , altera universalis, conclusio erit particularis : erit dubia , probabilis , falsa &c. si ex praemissis aliqua dubia sit , probabilis , falsa &c,

Ratio est quia si major est negans , nequit in ipsa contineri conclusio , quin neget : si neget minor indicat conclusionis subjectum sub alterutro majoris termino non contineri. ¿Quomodò ergo huic subjecto reliquum majoris terminum in conclusione tribuemus?

Si major est probabilis , dubia , falsa &c. non continebitur in eâ conclusio quin falsa sit , dubia sive probabilis &c. Si verò minor falsa, probabilis, dubia &c. sit , indicat probabilitèr , dubiè , falsò &c. conclusionem esse in majori contentam. Ergo esse debet conclusio dubia , probabilis , falsa &c.

CAPUT OCTAVUM.

DE SILLOGISMIS COMPOSITIS, ET EORUM REGULIS.

¿ Quid est sillogismus compositus?

Qui propositionibus compositis constat.

¿ Quae sunt praecipua sillogismorum compositorum genera ?

Est sillogismus disjunctivus, conditionalis, et caussalis.

¿ Quid est sillogismus disjunctivus ?

Ille, cujus mâjor est propositio disjunctiva: hujus pars una tollitur in minori, ut altera asseratur in consequentiâ, vel viceversa. V. g.

Mens humana aut spiritus, aut corpus est.
Atqui corpus non est.
Ergo est spiritus.
Vel. Atqui spiritus est.
Ergo non est corpus.

¿ Quid requiris ut sillogismus disjunctivus rectus evadat ?

Idem, quod statuimus pro ratiocinio, quod capite hujus libri quinto á partium enumeratione vocamus.

¿ Quid est sillogismus conditionalis ?

Ille, qui majorem habeat conditionalem, cujus pars prima vocatur antecedens, secunda consequens: et statutâ veritate antecedentis in minori, colligit consequentis veritatem in consequentiâ: vel consequentis falsitate in minori statutâ, falsitatem antecedentis in consequentiâ deducit. V. g.

Si Deus est, mundus providentiâ regitur.
Sed Deus est.
Ergo mundus providentiâ regitur.

Vel, sed mundus providentiâ non regitur.
Ergo Deus non est.

¿ Negato antecedenti in minori, negari potest in consequentiâ consequens: vel posito consequenti in minori, poni potest in consequentiâ antecedens?

Fieri hoc tantùm potest si talis sit inter antecedens et consequens nexus, ut ex illo hoc necessariò consequatur. Propterea perperam ratiocinaremur dicentes:

Si Luna oritur, pluit.
Sed Luna non oritur.
Ergo non pluit.

Vel, sed pluit.
Ergo Luna oritur.

Rectè autem ita ratiocinium institueremus.

Si Sinenses sunt christiani, apud ipsos extat vera religio.

Sed Sinenses non sunt christiani.

Ergo apud ipsos non extat vera religio.

Vel, sed apud Sinenses extat vera religio.

Ergo Sinenses sunt christiani.

¿Quid est sillogismus caussalis?

Ille, cujus major est propositio caussalis: et in minori caussa, quae in majori enuntiatur, subjecto novo tribuitur, ut illi eumdem effectum concedamus, qui concessus fuit subjecto majoris: vel caussam in majori enuntiatam ab illo minoris subjecto removemus, ut ei negemus effectum, quem enuntiat major. V. g.

Ideò Hispani spem salutis habent, quia sunt christiani.

Sed Itali sunt christiani.

Ergo spem salutis habent.

Vel, Sed Itali non sunt christiani.

Ergo spem salutis non habent.

¿ Non possumus subjecto minoris eumdem effectum, quem enuntiabat major, tribuere, vel negare, ut in consequentiâ eamdem caussam illi concedamus, sive negemus?

Poterimus si effectus, quem enuntiat major, á nullâ aliâ caussâ procedere possit, nisi ab eâ, quam major enuntiat. Sic hoc ratiocinium, rectum quidem, eruere possum ex anteriori exemplo.

Ideò Hispani spem salutis habent, quia
sunt christiani.
Sed Itali spem salutis habent.
Ergo sunt christiani.
Vel, sed Itali spem salutis non habent.
Ergo non sunt christiani.
Inepta autem haec esset ratiocinatio.
Ideò Petrus currit, quia inimicum imminentem fugit.
Sed Didacus currit.
Ergo inimicum imminentem fugit.
Vel, Sed Didacus non currit.
Ergo inimicum imminentem non fugit.
¿ Quis enim non videt alias praeter allatam in majori cursus hominis caussas esse ?

CAPUT NONUM.

DE SOPHISMATIBUS.

¿ Quid est sophisma?

Falsum ratiocinium, quo adversarius nos intendit illaqueari.

¿ Quibus usibus sophismatum cognitio inservit?

Ut ea cavere discamus, laqueosque, quibus captiosus homo intellectum irretire vult, disolvamus.

Afferas oro sophismatum genera, et regulas ad ea enodanda.

Pudet tempus impendere in sophismatum relatione, cum pueriles, et vanae quisquiliae sint, quas facilè extricabit omnis, qui ratiocinii in genere, et sillogismi, quas attulimus, regulas capiat. Illud enim sophismatum omnium peccatum est, quod major consequentiam non contineat, nec minor demonstret hanc in illâ contentam esse: vel si mavis, quod medius rectè cum extremis non conjungatur, quatuorque termini in argumentatione exurgant.

Ex eo etiam aliquandò sophisma existit, quod propositiones adhibitae aptae non sint, ut ex iis propositio, de quâ agimus, deducatur. Ast hoc non praeceptis commonstrari debet, sed ex totâ quaestionis indole erui.

LOGICA ORDINATRIX.

*¿ *Quinam sunt versus veritatem postremi Logici gressus?*

Concatenationem plurium ratiocinationum contexere. Non omnia primo intuitu, nec unico ratiocinio cernuntur. Sunt veritates, quarum cognitio longam propositionum connexarum exigunt seriem, cui efformandae methodus, sive ordo judiciorum, et ratiocinationum est necessarius. *

CAPUT PRIMUM.

DE METHODO GENERATIM, METHODI SPECIEBUS, ET REGULIS IIS COMMUNIBUS.

¿ *Quotuplex est methodus?*

Duplex: Analitica, seu resolutionis, et Sintetica, seu compositionis.

¿ *Quid est methodus analitica?*

Illa, quae ideas compositas resolvit in simplices, sive quae de compositis ad simplicia progreditur. Haec ad veritatem inveniendam inservit.

PHILOSOPHIA.

- Rationalis.
  - Ars benè loquendi.
    - Grammatica.
    - Rhetorica.
    - Poetica.
  - Ars benè cogitandi.
    - Geometria.
    - Logica.
- Naturalis.
  - Physica.
    - Historica.
    - Theorica.
    - Practica.
  - Matematica.
    - Geometria.
    - Aritmetica.
    - Algebra.
  - Metaphysica.
    - Ontologia.
    - Cosmologia.
    - Psichologia.
    - Theologia.
- Moralis.
  - Generalis.
    - Jus Naturae.
    - Jus posit. Div.
    - Jus Canonicum
    - Jus Civile.
  - Particularis.
    - Phisiologia.
    - Psichologia. *

Produc regulam quintam earum, quas antea innuebas.

5. Res singulae, de quibus agatur, vocabula omnia, quibus res exprimantur, si ambiguitatem, vel obscuritatem aliquam habeant, definienda sunt, et semper cum iisdem notionibus accipienda. Si haec non fiant, nec nitidè res percipiemus, nec alii nos intelligere poterunt.

¿Quid est definitio?

Illiûs, quod obscurum est explicatio. Si explicamus rei naturam, definitionem, quae dicitur rei, si vocabulum, definitionem nominis conficiemus.

¿Quid curare debet is, qui rectam definitionem efficere velit?

1. Ut definitio sit clarior re definitâ.

2. Ut nullum verbum in definitione ponatur, cujus ideam perspicuam non habeamus. Nisi haec duo serventur, definitio non erit explicatio.

3. Ut definitio sit universalis, sive conveniens toti rei, quam definire volumus. Nam aliter non rem, sed rei partem explicaremus.

4. Ut definitio sit propria, sive conveniens soli rei definitae. Si aliter fiat, rem co-

usque protrahimus, quo non extenditur. Sic qui hominem animal bipes definiat, humanitatis ideam ad irrationalia, que homines non sunt, falsò extendit.

5. Ut definitio constet ex genere, et differentiâ. Res enim non intelligitur nisi cognoscamus, quae ei cum aliis communia sint, et quae ipsi propria, id est essentiam.

CAPUT SECUNDUM.

DE METHODI ANALITICAE REGULIS.

¿Quaenam regulae speciales praescribendae ei sunt, qui veritatem inquirit.

Septem.

1. Perpendat utrum ei veritati inveniendae, aut solvendae quaestioni, quae proponitur, aptus sit, ne aut inutilitèr divagetur, aut inepta, et ridicula efutiat. Huc traduci potest illud Horatii.

> Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
> Viribus, et versate diù quid ferre recussent
> Quid valeant humeri.

2. Propositae quaestionis nodus quam clarissimis verbis explicandus est. Ergo si á nobis proponatur quaestio, ante omnia oportet, ut ejus claram notionem in animo efformemus: si proponatur ab aliis, rogandi sunt, ut mentem suam clarè, et distinctè explicent. Ni haec servetur regula, nescimus, quid quaerendum, aut demonstrandum sit, et in incerto inquisitio, et oratio omnis vagabitur.

¿ Quinam sunt, qui nodum quaestionis non perspiciunt, nec explicant, imò potiùs implicant?

Qui nimis festinè inquirunt, et disputant: qui praejudicio, et affectu commoti sunt: qui analisi longo exercitio non sunt assuefacti: qui notitiis necessaris rei, de quâ agitur, pertractandae sint destituti.

Regulas analisis prosequaris.

3. Si quaestio fuerit composita, dividenda est in omnes simplices, ex quibus constat, et ab eâ incipiendum, quae caeteris lumen preebere possit.

4. Diligentissimè perquirendum quidquid cum propositâ quaestione connexionem aliquam habeat, et ei lumen afferre possit. Possibiles quaelibet hipoteses confingendae.

Ita enim undequaque praesidia arcesentur, quibus enodandae quaestioni, atque detegendae veritati, aptiores reddamur.

5. Ea omnia resecanda, quae collecta per superiorem regulam intelligimus nullum nobis afferre posse praesidium, ne impedimento sint. Res tota in pauca conferenda.

6. Magno mentis conamine ideas medias quaeramus, quibus comparemus subjectum, et attributum propositionis, de quâ est inquisitio.

*¿ *Quid sunt hae ideae? ¿Quomodò quaeruntur? Rem agimus â quâ veritatis inventio praecipuè dependet. Eam distinctè inspicere vellem.*

Libentèr rem hanc longiori sermone prosequar, cum, eâ non intellectâ, nec veritas obscurarum propositionum, nec natura obscurae ideae patere possit, nec ratiocinium constare. Si ideae, quarum identitatem aliqua propositio enuntiat, essent simplices, sub unico aspectu nobis exhiberentur, et primo, et unico intuitu videremus utrum essent identicae, vel diversae, id est, utrum una in alterâ contineretur, aut non: ac propterea propositionis veritatem, aut falsitatem evidentèr inspiceremus. Ex eo ergo propositio-

nis venit obscuritas, quod ex compositis ideis constet, quarum partes statim nobis non exhibentur, ex quo fluit, quod non videamus utrum idea propositionis una in alterâ contenta sit, utrum una alteriûs sit pars.

¿Quid ergo faciendum ut id clarè, et distinctè videre possimus?

Ideas omnes, quae partes sunt ideae compositae ita inquirere, ut nullam penitùs relinquamus: id est, ita ut ex compositis ad minùs composita gradatim eousque procedamus, donec reliquam propositonis obscurae ideam sub resolutâ inveniamus, vel donec ad simplices attingamus, si agatur de inveniendis omnibus omninò ideis, quae sub compositâ nobis exhibitâ contineantur, et de eâ valeant praedicari. Natura ipsa hanc resolutionem nos docet, eamque vel infantes instituunt, dum quid res aliqua sit, quidve sub illâ contineatur videre amant. Hae partes, partialesve ideae, ex quibus composita, quam resolvimus, coalescit, ideae mediae vocantur (ut alibi diximus) quia iis mediis invenimus aut simplices, ex quibus composita nobis exhibita coagmentatur, aut illam, quae in propositione aliquâ alteri compositae tribuebatur, quâ inventâ certi

sumus sub illâ compositâ contineri, et non contineri, si sub resoluta non inveniatur.

In resolutione ergo compositionis generationem sequi debemus: hoc est, ita resolvamus ut ex unâ ad aliam non procedamus aliquam inter ipsas primâ simpliorem, magisque quam secunda compositam relinquentes.

¿ *Quomodo autem id fiet?*

Naturae ipsiûs, intellectus humani gressus sequendo. Observemus quomodo ideas naturali ordine componantur, ex hâcque observatione resolutionis modum juxta ipsam idearum generationem discemus.

In primis animadvertere opus est duplicem in quâlibet ideâ compositionem posse spectari. Illa enim exhibere potest aspectus diversos, qui separatim considerari valeant, quos propterea variae ideae repraesentent. Tunc illa prima ideâ erit velut idearum simpliciorum agregatum: v. g. in ideâ Petri distinguimus ideam individuationis, et speciei sive hominis, in idea hominis distinguimus ideam generis proximi, animalitatis, et differentiae, sive rationalitatis. In ideâ generis proximi, sive animalitatis distingui-

mus ideam amplioriis generis, sive viventis; et differentiae, quâ cum aliis non convenit, sive sensationis &c. Individui ergo idea magis composita est quam idea speciei, cum exhibeat speciei ideam, et ideam individuationis. Speciei idea magis composita est quam idea generis proximi, cum exhibeat illud totum, et etiam ideam differentiae. Simplicia ergo hujus compositionis erunt ideae, quibus nullos aspectus distinguamus. Haec omnia clariùs infra patebunt.

Idea etiam nobis se exhibere potest tamquam partibus similibus constans, quae diversis aliis ideis adjungantur, et plures diversas compositiones efforment. Si ad illas veniamus, quae non dividantur, ut earum partes aliis ideis agregentur, hae ultimae ideae individuae simpliciores erunt ideis, quae partes tribuant compositionibus efformandis, quibus ad illas individuas fit progessus. Ideae autem compositae, quae proximiores sunt individuis, simpliciores sunt remotioribus, quae partes pluribus numero compositionibus tribuunt. V. g. Idea Petri simplex est, cum individuum repraesentet, et in aliam compositionem non ingrediatur. Ho-

minis, vel potius humanitatis idea composita est, quia dispergitur in individua. Idea Animalis magis est composita quam hominis idea, quia haec ad individua humana tantùm extenditur, illa verò ad humana, et bruta &c. Individuum ergo non concipitur in partes divisum, Hominis verò idea in partes divisa concipitur, et Animalis idea adhuc in plures partes. Ex his omnibus apertè colligitur ideam, quae hoc ultimo modo spectata simplicior appareat, id est, quae sit individua, maximam prae caeteris habere compositionem, si primo modo compositio veniat spectanda; quae compositio decrescit, ordine, quo accedimus ad ideas, quae plures et plures aspectus exhibeant, vel quo crescat prima, quam statuimus, compositio.

His positis, quae necessario erant ponenda, compositarum idearum prospectum, qui omnibus notus sit, exhibebimus, modumque, quo compositio effecta fuit, observantes, modum resolutionis discemus. Videsis illum chartâ hâcce exaratum.

PARTES. SOLIDITAS.

ATTRACTIO. INERTIA.

Corpus.

Non vita. | *Vita.*

Non vivens. | Vivens.

Non cognitio. | *Cognitio.*

Planta. | Animal.

Irrationalitas. | *Rationalitas.*

Brutum. | Homo.

Petrus, Paulus &c.

Compositiones omnes, quae exhiberi possunt, eodem ac haec ordine, eâdem viâ procedunt. Et nullus alius ordo, nulla alia est via, quâ possint procedere, si compendium cogitationum, cui usui eas nobis innuit natura, debeant efformare. Hujus rei rationem reddere epitomen, quam efficimus, angustiae haud permittunt. Allatam ergo compositionem examinemus. Ideae á capite exaparantur, quibus nullos praeter unum aspectus distinguimus. Tales sunt ideae *partium*, *soliditatis*, *attractionis*, *inertiae*. Hae in unum conjunguntur, et exurgit idea composita *corporis*, quae hoc uno *corporis* nomine exprimitur, et tot aspectus exhibet, quot sint ideae simplices, ex quibus oritur. Ideam *vitae* ideae *corporis* jungo: ex *corporis* et *vitae* ideâ idea *viventis* exoritur, quae duos ostendit aspectus, aut partiales ideas, *corporis* nempe, et *vitae*. Postea ideae *viventis cognitionis* idea additur, et apparet alia composita, nempe *Animalis*. Huic *Rationalitatis* ideam adjunctam video, et nascitur idea *Hominis* ex duabus *Animalis*, et *Rationalis* coalescens. Si homini ideae individui determinati idea addatur, *Petri*, vel *Pauli* idea adest.

Vel *corporis*, vel *viventis*, vel *Animalis* ideis adjungi possunt aliae, vel rei possitivae, vel deffectûs rei illiùs, cujus ideae priùs iis tributae fuerunt, et aderint ideae *non viventis*, *non cognoscentis*, sive *Plantae*, *inanimi* &c. Hae erunt velut classes subordinatae generi superiori, vel ideae, cui illae novae adjunctae fuerunt.

Observo etiam ideas illas, quae succesivè adduntur, ut sunt illae *vitae*, *cognitionis*, *ratiotalitatis*, si semel uni ideae adduntur, numquem alteri copulari, ac propterea ita propriae sunt rei, quam componunt, ut nulli alii convenire possint.

Videas nunc in allatâ compositione, quae idearum aspectus copulando effecta est, exortam esse compositionem, quae antea secundo loco posuimus. Si consideras individua *Petrum*, *Paulum* &c. habebis ideam cujuscumque ex iis simpliciorem esse ideâ speciei, sive *hominis*, cum haec tot exhibeat partes, quot individua sunt, illa verò seipsam tantùm exhibeat. Idea generis, vel *animalis* magis composita est, quam idea *hominis*, cum illa duabus speciebus, *homini*, et *bruto* conveniat sua sub se individua continentibus, alia verò uniûs tantum spe-

ciei individuis competat. Idem dicas de generibus superioribus.

Nunc facili negotio, ni fallor, resolutionem cujuslibet ideae valemus efficere. Aut quaerimus essentiam rei per obscurum aliquem terminum exhibitae, id est aspectus, vel ideas partiales, ex quibus res, vel idea exhibita coalescat, aut quot in partes concipiatur divisa, id est, quibus rebus communis sit, vel quibus aliis ideis sit copulata. Si primum (ut ordinem generationis illius ideae sequamur, nullaque nos lateat ex iis, quibus cogmentatur) genus proximum, et differentiam quaeremus, id est, attributum, vel aspectum, qui soli ideae propositae competat, et alium, qui termino exprimatur, vel qui generalis sit, caeteros omnes, qui restant, in se includens, et aliis etiam ideis praeter propositam congruat.

¿ *Quomodo autem procedam ut genus proximum, et differentiam inveniam?*

Inductione confecta super res omnes, quas resolvenda idea repraesentet, attributum, quod iis sit essentiale, id est quod omnibus abs intensione vel remissione conveniat, quoque superet rem aliam, quam

resolvendae similiorem agnoscas. Hoc erit differentia. Idea alia similioris rei, quam diximus, genus proximum erit. Hoc genus, differentia illa essentiam ideae, vel rei examinatae constituunt.

Genus, et differentiam inventam eodem ordine examina, et habebis succesivè alia genera, et differentias, quae tot erunt partiales ideae juxta ordlnem, quo conjunctae fuerant ad compositam tibi á principio exhibitam efformandam: erunt aspectus omnes, qui in eâ continentur, sive ideae mediae, quas quaerebas

¿ Quomodo vero procedam ut inveniam species, vel partes, in quas proposita idea divisa concipitur?

Inter omnes res similiores ei, quam exhibita idea significet, eas quaeres, quae inter se constanti aspectu discrepent, et exhibitam in eo superent. Tot illiûs species erunt, quot tales ideae appareant. Sic deinceps procedes, donec ad individua venias. Tunc hae species erunt ideae mediae, quibus ad simplicia, id est ad individua, procedas, et partes indicant, in quas idea exhibita concipietur divisa.

Haec omaia uno, aut altero exemplo

adducto clariora fient. Ideam *Animalis* resolvendam mi offerunt. Inquiro illam, quae mi exhibeatur ei similior, et *Vivens* menti obversatur. *Animalia* et *Viventia* comparans animadverto illa ab his cognitione differre. *Cognitionem* video *Animalibus* esse essentialem. *Cognitionem* igitur tamquam *Animalis* differentiam agnosco, *Vivens* vero tamquam proximum genus. Eodem modo *viventis* et *cognitionis* genera, et differentias quaeram.

Animalis species sint inquirendae. Ideas similiores, et quae aliquid magis quam ipsa exhibeant, investigem. Reperio Rationalis et Bruti ideas. Eas inter se comparando observo uno tantum essentiali attributo vel aspectû differre, *rationalitate* videlicet, qua *Rationales* pollent, et *irrationalitate*, quae *Brutorum* est propria. *Rationale* et *Irrationale* cûm *Animali* comparo, et perspicio similia esse *rationalia animalibus* in omnibus praeter unum, rationalitate videlicet. *Irrationale*, et *Animal* comparo inter se, et video illud ab hoc irrationalitate tantùm esse diversum. Rationale ergo et Brutum species sunt res-

pectû *Animalis*. Eodem modo resolutionem deinceps prosequar. (5)

Satis de resolutione rei dixisti in essentialia, et species, quâ ideas medias quaeramus ad veritatem propositionum noscendam; quibus qualitates, vel species de subjecto aliquo praedicentur. ¿Quomodò autem resolvam, quomodò ideas medias quaeram ad veritatem videndam propositionum, quibus quantitates, aut caussae, aut effectus de subjectis sint praedicata?

Resolutio tòtiûs in partes naturâ similes, vel quae non qualitate, sed quantitate á toto discrepent, affinis est ei, quâ qualitates, essentiasve inquisivimus.

Ut effectûs alicujus caussam investigem, ipsiûs effectûs naturam juxta regulas resolutionis antea statutas inquiram, et apparebit cujus naturae requiratur agens ut talis effectus productus sit. Si inductione con-

---

(5) Qui plura hâc super re, et dilucidiora desideret, quae Epitomen ratio afferre non sinit, Condillaccii Artem ratiocinandi, et Logicam adire potest. Caeteris praestat Foroudae versio.

fectâ unum tantùm agens illiûs naturae inveniam, illud est caussa quaesita. Si plura, videam quodnam ex iis immediatùm prae ceteris in effectum habeat influxum, et illud tamquam caussam dati effectûs cognoscam. Ut verò caussae alicujus effectus appareat, naturam caussae juxta praelaudatas resolutionis regulas noscere satagam, et inveniam cujus generis effectus valeat producere. Ut autem inveniam, quos ex iis produxit, inductione confectâ videam, qui talis generis existant effectus. Si á nullâ aliâ praeter examinatam pendere possint, ab eâ pendent. Si ab aliis, eos illi tribuam, quae immediatiorem in ipsos habeat influxum. Sed de his commodior in Physica disputandi locus. (6)

¿Praeter hanc analiticae methodi regulam, quâ ideas medias investigandas esse docuisti, modumque, quo id fiat, explanasti, sunt aliae hujus methodi regulae?

7. et ultima. Si iis confectis, quae superiores regulae praeceperunt, veritas non appareat ex eo erit, quod adhuc resolutio ad

---

(6) Videas Malebrancium de Inq.ver. lib. 6.

debitos limites non pervenit. Ergo ulteriùs est provehenda.

¿ Quando veritatem apparere dicemus?
Quando idea illa, quae de altera in propositione praedicabatur, in eâ contentam esse videamus, aut non contentam, si negabatur.

CAPUT TERTIUM.

DE REGULIS METHODI SINTETICAE.

¿ Quas regulas ei praescribis, qui veritatem explicare, et docere sumit?
Difficile est quod ordine, et claritate summâ, quae exoptanda est, ille explicet, qui Matematicae sit ignarus. Attamen haec regulae juvant.

1. Ea, que doceas, perfectius, quoad fieri possit, tu calleas. Perridiculus enim eris, et alios turpissimè decipies, si ea docere velis, quae aut ignoras, aut per summa capita didiscisti..

2. Auditores apti eligendi: indè est quod non de omnibus cum omnibus disseram, non enim omnes ferre omnia possunt. Hînc Scholis omnibus secretiora quaedam dogmata fue-

re, quae doctrinis tantùm Initiatis tradi solebant. Scire ergo debemus, quae sint docenda, quaeque tacenda.

3. Vocabula, quibus utendum est, et quae esse possunt ambigua, aut obscura, definiantur.

4. Statutis definitionibus sequantur axiomata, ex quibus ratiocinia concludamus. Animavertendum nunc erit primum, in scientiis, quibus auctoritas principia suppeditat, axiomatum loco haberi propositiones eas, quae clarè, et distinctè in verbis auctoris contineantur. Secundum: loco axiomatum statui posse propositioness, quae licet demonstratione egeant, tamen tamquam certas habeant illi, quibuscum disputamus: et illas etiam, quae, licet falsae, ab adversario, quem convincere amamus, tamquam certò exploratae habeantur.

5. Axiomata excipiant postulata, et vel hipotheses, si quae occurrunt proponendae.

6. Nihil demonstrandum nisi ex iis, quae praestabilita sunt, definitionibus, axiomatibus, postulatis, hipothesibus, et probatis propositionibus.

7. Nullae adhibendae propositiones, quae ad rem, de quâ agitur, non pertineant, aut

quae primis illis propositionibus demonstrandis, illustrandisve non inserviant.

8. Propositiones, quae aliis demonstrandis inserviunt, illis sunt praemitendae.

9. Si per superiorem regulam liceat, simplices propositiones praecedant compositas, minusque genericae genericas.

CAPUT QUARTUM.

DE USU, ET PRAETIO HIPOTHESEON.

Regulâ quintâ axiomata asseruisti hipotheses excipere. Memini autem multoties te parvi eos fecisse, qui non realibus, sed imaginariis ideis delectentur. Ast hipothesis non realia, et existentia, sed possibilia, et abstracta complectitur.

Veritatum idealium limites mirum in modum hipotheesibus protrahuntur. Scientiae omnes abstractae, ut Ontologia, Aritmetica, Geometria, &c. scientiae sunt hipotheticae, quin lucidae, et pulchrae esse dessinant. Realem Mundum homo condere nequit, condit autem ideas, quae hipothesibus colligatae intelligibilem Mundum constituunt. Hae idae, si abstractione ex rebus

rectè sumantur, et iis ritè appliceutur, ad ipsum mundum realem intelligendum plurimùm juvant.

Haec fusius explica.

Fatear judicium de rebus ferre nos ex hipothesibus non debere, ni amentes simus; attamen ad haec duo interviunt hipotheses: primò ad res omnibus possibilibus aspectibus, et circunstantiis tentandas, ut tandem positio, vel hipothèsis ipsa Thesis effici queat, vel certa, realisque propositio. Fac v. g. talem Montis dispositionem, talia in ipso signa fodinas auri indicare. Si haec hipothesis iteratis observationibus realizari posset, certam iis artem praeberet, quibus est divitiarum fames, ad metallum hoc ex suis latebris arripiendum. In universo Naturae regno perpulchra, et utilia multa inventa sunt, quae fuere hipotheseon usu inquisita. Siquid Astronomi profecere, mediis hipothesibus profecere.

Inserviunt secundo hipotheses ad verosimilia invenienda, ubi vera non habeantur; quod plurimi esse scientiis emolumenti nemo unus est negaturus.

¿In scientiis autem non abstractis, ut Phisica, quaenam sunt hipotheses admittendae?

Eae tantum, quae sequentibus legibus subjiciantur.

1. Adhibeamus hipotheses quando viis aliis omnibus tentatis, nil omninò realis, et certi invenire potuerimus. Hipothesis tunc erit ut decretum *per modum providendi*, si ita alloqui liceat. ¿ Quis enim dum certi inveniendi spes restat probabilibus acquiescet ?

2. Hipothesis nihil contineat, quod experimentis, phoenomenis, effectibus rei, de quâ agatur, qualitatibusque adversetur. Tunc namque hipothesis est imposibilis, adeoque falsa, et inutilis.

3. Sufficiat hipothesis ad illud omne explicandum, cujus gratiâ assumitur: unus tantum effectus, cui hipothesis non aptetur, eam falsam reddet; tunc enim ad rem explicandam non est sufficiens.

¿ Sunt aliae, praeter allatas, methodi?

Methodus legendi, seu studendi, et Methodus disputandi. Primae praecepta passim in hâc Epitome sparsa reperies. Secundae regulas prolixae admodùm sunt, si explicationibus expediantur, faciles verò dum praxi discuntur. Eas ergo praetermittere duximus.

INDEX.

LIBER TERTIUS.

LOGICA JUDICATRIX, CRITICAM COMPLECTENS.

LIBER QUARTUS.

LOGICA RATIOCINATRIX.

LIBER QUINTUS.

LOGICA ORDINATRIX.

ERRATA NOTABILIORA.

Fol.	Lin.	*dicit*	*legatur*
60.	4.	Caput Sextum.	*Caput Quintum.*
189.	14.	ratiocinando	*resolvendo.*

